BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
23 D
8 n
14-16. F. 23
Digitized by Google

STEPH. DE MELLES

Philoſophi, Theologi, & I. C[TI] Pariſienſis,

ETHICA

PARTICULARIS

SEU

INSTITUTIONES

PRIVATÆ, OECONOMICÆ, ET POLITICÆ.

Novi ejuſdem Philoſophiæ Syntagmatis

PARS EXOTICA.

AD ILL[um] TALÆUM

ANNEXA EJUSDEM OPERA ET STUDIO duo opuſcula. I. CELSI I. C[TI.] Miniatenſis Princeps ex Tacito. Q. QUINNI de virtutibus Principis, AD CAROLUM magnæ Britanniæ Regem Opus J. LIPSII ſtylo & genio concinnatum.

PARISIIS,
Apud DIONYSIUM THIERRY, viâ San-Iacobæa, ſub ſigno Urbis Lutetiæ.

M. DC. LXX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLVSTRISSIMO VIRO D. D.

DIONYS. TALON,

COMITI CONSISTORIANO

PRIMO REGIS

In Supremo Galliarum Senatu

ADVOCATO.

HOMINIS *in quavis vivendi ratione fœlicis adumbratam offero tibi Imaginem*, VIR ILLVSTRISSIME,

ã ij

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

quam obſequioſi in te animi monimentum eſſe voluerim, non ingenij aut eruditionis. Ita ſcilicet omnium, quotquot ſunt politiorum Litterarum ſacris initiati, oculos incredibilis, cum mirâ dicendi ſuavitate & copiâ, doctrinæ fulgore perſtrinxiſti, ut te Patronum, te Mœcenatem atque fautorem habere omni ſtudio geſtiat litteratiſſimus quiſque, eruditionis ſuæ judicem meritò reformidet. Ingens TALEÆ *gentis, ingens ævi noſtri gloria*, VIR IL-

[I]LLVSTRISSIME, *quod vel in te uno habeat quò ſtare audacter adverſus vetuſtatem poſsit & poſteritatem, cui vel culpæ genus fuerit in tantâ gloriâ quam aſsiduis in Regem, in Galliam, in Eccleſiam meritis quæſiiſti luce quod ſummum eſt non effeciſſe. Servabatur tẽporibus noſtris tam abſolutum naturæ virtutiſque certatim conantis opus, nec fauſtiùs uſquam optatum Gallicæ Themidi exoriri potuit ſidus quàm ſub* REGVM MAXIMO, *cu-*

Culpæ genus eſt non te feciſſe quod ſummum eſt.

Theodoricus Rex ad Importunum Patricium. Apud Caſſiodo. l. 3. variarum.

jus armis pacatus in officio continetur orbis, legibus informatur. Tot licet eruditionis omnigenæ circumfuſo radiis advolvor lubens, VIR ILLVSTRISSIME! *nec ſi ferendo lumini minus pares oculi, impar pectus tibi imprimis conſecratum, quod amore tui fœlicius inardeſcat; Quin & opellam hancce noſtram non ingratam tibi fore nobis polliceamur, quam, ceu tenuem halitum, ex Academicis montibus eduxeris. Hanc certe, ſi ex offerentis animo æſtimes,*

concepto calore in lucidum etiam aliquando μετέωρον evaſuram ſperemus, cui facto tam ſingulari quam proſpero conſtans in te cum improbis laboribus atque ſtudiis obſervantia pariat æternitatem. Vale, *Themidis decùs & litterarum!*

Tuus æternùm ad omnia paratiſſimus,
S. DE MELLES.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

SYNTAGMATIS noſtri pars hæc poſtrema in manus tuas ſi venit ne mireris Amice LECTOR! Exoticam volui quæ Philoſophum te poſtulet, nec rerum humanarum, nec altioris Sophiæ, imo nec Medicinæ rudem, ut nec melioris litteraturæ minus peritum. Hanc igitur, ceu ſapientiæ delubrum illotis manibus ne ſubeas.

Caſta placent ſuperis.

Doctis elucubratam ſcito, non tyronibus, juvenilive abreptis impetu. Eruditorum alimonia fuerit & πολυμαθὼν, non μαλακία picave laborantium, quibus inertia pro ſapientia ſit, & reconditioris doctrinæ criminatio pro pietate. Abſolutam magis haberes, ſi otium; emendatiorem, ſi optatam chariſſimæ Matri ſanitatem ſervaſſent ſuperi: aſt & illud inſidioſa mentibus erectis negabant fata, hanc luctuoſâ morte & immaturâ ademere. Sic fœtui non defuit materia, ſed tempus, quo delineatis partibus & conformatis

Tacit. in Agricolâ.

adoleſceret fœliciùs, debitaſque Typographicis laboribus curas juſtiores impedierunt. Qualiſcumque prodeat in lucē, ni ad optima nauſeabundum ingenium habes, abſque voluptatis ſenſu haud inſpexeris, quem vel unius ILLVSTRISSIMI TALÆI auſpicia fortunarent. Errores Typographicos, qui ſane me ex pietatis officio abſente, plures irrepſerunt, condonabis facile ſi (quod imprimis voluerim) maturâ ætate & ſcientiâ inſtructus acceſſeris. Vt certum conſtantemque, quantum materia operiſque conſilium pati poterat, ordinem pro virili ſervare animus fuit, ſic & quandôque admixtas quæſtiunculas ſtylo ad Scholam compoſito, non omiſſis argutiis ventilare libuit, ut & adhuc ei prodeſſe poſſemus. Quod de noſtro ad Politices ἀκρίβειαν forte deſideraſſes, uberiùs ſuppeditabunt duo Authores quos ſubjunximus I. CELSVS & G. QVINNVS uterque ſuâ laude dignus. CELSVM ſane qui tenebit memoria vix ulli Politico, ſi uſum jungat, inferior: ita Politicorum Principis ſpiritus & medullas veluti exſuxit. Vale, Amice LECTOR, nec, ſi modò ſapies, cenſoriam prius adhibueris virgulam, quam majora fueris auſus & perfeceris.

INDICVLVS CAPITVM.

ETHICÆ *particularis Præludia.* pag. 1

Hominis in quolibet vivendi genere Officiorum delineatio. Duplex ad uſum Scholæ diſceptatio: una de diviſione Ethicæ in tria vulgata membra, altera de ordine. Solitariæ vitæ obiter indicata dignitas; ut & vulgaris error Philoſophorum notatus.

Elementa Monaſtica. 14

TRACT. PRIOR. *De fœlicitate privatâ.*

Hujus conſtitutiva afferuntur.

CAPVT I. *De Tranquillitate animi.*

CAPVT II. *De amicitiâ.* 16

Amicitiæ veræ indoles & notæ.

Dubia ſelecta de amicitiâ, atque hæc ad uſum Scholæ & Stylum. 24

An amicitia ex indigentiâ? *ibid* An amari melius, an amare? *pag.* 27 an amicitia affinitate potior? *pag.* 28. an vera cum improbis amicitia? *p.* 30. an amicitia tantum inter duos? *pag.* 31. an ſenes ad amicitiam idonei? *pag.* 33. an amicitia bono viro neceſſaria? *ibid.* an amici in adverſâ quam proſperâ fortunâ potiores? 34

TRACT. ALTER. *De Mediis ad fœlicitatem privatam.* 36

CAPVT I. *De procurandâ mentis tranquillitate.* ibid.

CAPVT II. *De contrahenda fovendaque amicitia.* 39

Ineundæ fœliciter amicitiæ Canones. ibid.
Iidem rectè fovendæ. 44

ELEMENTA OECONOMICA.

Oeconomicæ Idea & familiæ in univerſum. Cuius duo Tractatus.

PRIMVS. *De fœlicitate Oeconomica.* 52

ALTER. *De mediis.* 62

Officia Conjugum ad invicem, *ibid.* Officia parentum & liberorum, *pag.* 75. *De auſpicatæ prolis generatione*, pag. 76. *De genitæ educatione*, pag. 83. *De adoleſcentis inſtitutione*, pag. 90. De rei familiaris curâ, *pag.* 105. De acquiſitione divitiarum per agriculturam, *pag.* 107. Per officiariam, *pag.* 113. De Iuriſprudentiâ, *pag.* 115. De Medicina, *pag.* 116. De didaſcalica, *pag.* 118. De rei familiaris curâ, opum conſeruatione & incremento, *pag.* 121. Officia liberorum, *pag.* 133. Officia dominorum & ſervorum. 142

Dubia ſelecta Oeconomica.

An ſapienti ducenda uxor? *pag.* 156. De corporis eligendæ uxoris dotibus, *pag.* 166. de ſana conſtitutione, *ibid.* de pulchritudine, *pag.* 169. de ætate, *pag.* 177. de indole, moribus & ingenio, *pag.* 184. de fortunis, opibus & genere, *pag.* 188. de Polygamia & Monogamiâ, *pag.* 193. An mutili fœtus nutriendi? *pag.* 201. an publica inſtitutio anteponenda privatæ? *pag.* 202. Filius par pari referre patri nequit, *pag.* 205. nemo naturâ ſervus, *pag.* 206

ELEMENTA POLITICA.

Societatis & politices in univerſum idea, *pa.* 207

Ad Elementa Politica Apparatus. De regimine publico in univerſum. 214

Monarchia optima. 216. hæreditaria potior, *pag.* 220. Animata lex Princeps, *pag.* 222. Androcratia optima. 223

TRACT. PRIOR. *De fœlicitate Politica.*

CAPVT I. *De Religione.* 225

CAPVT II. *De bono Principe.* 230

CAP. III. De reliquis ad publicam fœlicitatem conducentibus, inter quæ Magiſtratuum integritas, *pag.* 237. Litterarum ſplendor, 238. Subditorum in Principem amor. 239

TRACT. ALTER. *De mediis ad fœlicitatem politicam.*

De procurando veri numinis cultu, *pag.* 241. de mutuo Principis & ſubditorum amore, *pag.* 243 de fouendâ firmandâque Magiſtratuum æquitate, *pag.* 247. De artium liberalium atque litterarum ſplendore, *pag.* 248. de rerum omnium abundantiâ. 252

Principis ex TACITO *imaginem à* IOANNE CELSO *effictam ut cominus intuearis Indicem non dabo, authorem admiraturus cum ipſe videris, ut &* GUALTERI QUINNI *ſtudiis & laboribus bene precaturus: ſingulis tamen* I. CELSI *libellis Epitomen præfixam voluimus, quam nobis abſentibus, raptim licet, ſingulari tamen induſtriâ & elegantia texuit* I. CUGNETIUS *Cardinalitiæ domus prior, in eaque Philoſophiæ Profeſſor, vir ut omnigenâ eruditione cum ingenij perſpicacia ſingulari & dexteritate, ſic & ſtyli purioris ac venuſtioris ſuauitate inter Academicos inſignis.* VALE, Amice Lector.

ETHICÆ PARTICULARIS PRÆLUDIA.

HOMO ut rationis compos, ſic & ſibi, ſuis, & reipublicæ natus: hinc officiorum varietas, quorum alia generalia ſunt, alia ſpecialia.

Generalia ſunt hominis ut homo eſt, à quibus proinde eximere ſe nemo queat: Atque horum inveſtigatio eſt Ethicæ univerſalis, quæ & ſummum bonum, ultimumque hominis finem aperit & media quibus comparetur.

Specialia ſunt hominis in certo ſtatu vitæque genere conſtituti. Triplex autem maximè vivendi ratio, privatim, in familia, in civitate & republica. Hinc triplex hominis ſpeciale officium: privati in ſemetipſum: in familia viventis, erga membra familiæ: in civitate degentis; erga concives & rempublicam.

Privatus proprium in omnibus bonum ac commodum: pater familias familiæ; civis reipublicæ unice conſectatur: hinc privatus, ut privatus, ſui maxime, eorumque quæ ad propriam fœlicitatem faciunt, ſollicitus: membrum familiæ propria ſpernit commoda, ut gentilitia procuret: membrum denum civitatis & ſui & ſuorum immemor, totus in reipublicæ ſplendorem & concivium ſalutem, incolumitatemque incumbit: hinc patris familias ætate ingraveſcente, quietiſque avidâ, ingeminati ad liberorum commoda labores: hinc Manliana imperia horrenda triſtis in poſterũ
lib. 2. exempli futura (ut loquitur Livius) ſævientiſque in proprium filium, poſtulante reipublicæ bono, parentis ſententiæ, eo piæ magis quo crudeliores.

Quæ homini cuivis communia ſunt officia, quis omnium finis, quod ſummum, cunctiſque propoſitum bonum, quas inire vias ad ipſius adeptionem neceſſe ſit, aperire noſtri non eſt inſtituti: hoc ut paterno affectu ſic & copioſe ac ſubtiliter egit Ariſtoteles in libris Ethicis ad Nicomachum & ſumma perſpicuitate, ex præſtantiſſimorum Interpretum mente, explicat Magirus vir facilis & nitidi, ſiquis alius, ingenij: hoc & nos pro modulo præſtamus in Ethica noſtra generali: Ergo de his tantum, nec quidem omnibus, ſed præcipuis, quæ ad ſingulos ſtatus vivendi pertinent, nobis breviter agendum.

Egregie hoc dicere Demetrius Cynicus vir meo judicio magnus etiã maximis

Nodum vt aiunt quærit in Scirpo, qui in facilibus, communique hominum, & quidem ſapientiorum, ſenſu probatis altercatur: ut moleſta in cunctis inanis rixa, ſic & importuna maxime in Moralibus: ergo in iis tantum

exerendus diſputationis gladius,quæ utrimque à ſapientibus & eruditis librata ſunt: Reliqua ut pacatiori animo, ſic & ſtylo limatiori, inſperſiſque ſententiarum floribus venuſtiori, pertractanda.

Quia vero ordinem & methodum illuſtrium maximeAuthorum præceptis exempliſq; edocti maxime ſemper deperiimus: Ideo & ipſius in hacLucubratiuncula potiſſima nobis erit ratio: cui certius ſtatuendo duo dubia in Scholis vulgo agitata præmitto.

compare-tur, ſolet, plus prodeſſe ſi pauca præcepta ſapientiæ teneas, ſed illa in promptu tibi & in uſu ſint, quam ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum. *Senec. l. 7. de Benef. c. 1. ubi Moralis diſciplinæ excellentiam proſequitur.*

1. De diuiſione Ethicæ in Monaſticam, Oeconomicam & Politicam.

2. De ordine ejuſmodi ſpecierum.

DUBIUM PRIMUM.

De diviſione Ethicæ in Monaſticam, Oeconomicam & Politicam.

HÆc diuiſio, ut perantiqua, ſic & receptiſſima eſt: circa quam tamen non leves video motas ab aliquibus authoribus difficultates, quæ omnes meo judicio ex eo natæ ſunt, quod peculiarem, & ab Ethicis Nicomachiis diverſam in Ariſtotele non habeamus de hominis privatim viventis inſtitutione tractationem. Hinc enim factum, ut aliquibus Monaſtica ad Moralem non pertineat, ut Zuingero; quod hominis privati nulla ſit virtus, ſed vita aut divina aut belluina; aliis, & quidem vulgo, Monaſtica alia non ſit à generali hominis, ut homo eſt, in formatione; Aliis demum, ut Angeſto, diverſa ſit ab Ethica generali, Oeconomica,

In præfat. Ethicorum.

In Prolog. l. 1. de virtutibus.

& Civili, ſeu Politica. Horum omnium ſenſa minutius non excutio, ut & varium in iis tractandis ordinem, varias quoque, quas ſinguli ſingularum harumce diſciplinarum ideas effinxerunt: aliis Ethicam generalem in Nicomachiis contentam ſpeculativam ſtatuentibus, cæteris interim ad diverſa vitæ genera pertinentibus practicis, & ab ea principia mutuantibus, eo modo quo practicæ Medicinæ partes Theoreticæ ſubordinantur: aliis in Nicomachiis quieſcendum à civilibus, & œconomicis inchoandum, contrà ſentientibus: aliis demum per ſe ad Ethicam pertinere libros tantum Nicomachios, politicos vero tantum per accidens, quod legum ad hos pertinentium ortus naturæ deprauationi debeatur. Ita Picus Mirandulanus.

ut Picolhomin. Introd. c. 9. Simonius Balſoreus, &c.

Ita Fr. Patricius tom. 2. diſcuſſ. Peripat. l. 9.

lib. 5. de honore.

Ego quid ſentiam paucis perſtringo. Certum eſt unum eſſe ſummum bonum hominis cujuſvis in quocumque ſtatu conſtituti, nempe Deum Opt. Max. ad cujus adeptionem cuncta hominum vota debent collimare: quemadmodum enim crimine non vacet privatus, qui privatum bonum; nec pater-familias, qui domeſticum; nec civitatis clavum tenens, qui publicum quærit, Deum non quærit: ſic nec privata quæcumque, nec domeſtica quævis, aut publica, abſque ſummo bono commoda felicem quemquam efficient: quamobrem omnium vitæ ſtatuum iſdem debet eſſe ſcopus, ubi una eademque proponitur omnibus felicitas, unius eiuſdemque ſummi boni poſſeſſio: At huius ſibi comparandæ beatitatis non una ratio: atque ut ad idem centrum à ſingulis circumfer: tiæ punctis per varias lineas perveneris, per ſemidiametrum & ſemiſeg-

mentum, eſto per illum brevior faciliorque ſit aditus, per hoc difficilior longiorque via ſit: ſic á ſingulis hominibus ad Deum quidem ut centrum tendendum, ſed non unâ eâdemque ratione: nam & communia ſunt, ut diximus, officia, quibus nemo ſe exemerit, & peculiaria pro variis vitæ generibus & inſtitutis. Ut quoque variarum & heterogenearum linearum, rectæ & curvæ, quas centrum petens ab eodem vel diverſis circumferentiæ punctis decurreris, varia ſunt puncta intermedia, diverſus quoque ad ea motus, rectus unus, ut omnium breviſſimus, ſic & facillimus, circularis alter; ſic & hominum in diverſis vitæ generibus conſtitutorum, etſi unus ſcopus, idem centrum, eadem ultima felicitas; varia tamen intermedia, variique ad eam motus. Hominis privatim viventis beatitas erit bonorum omnium privatorum copia, membri familiæ domeſticorum; membri reipublicæ publicorum. Motus quoque ſeu officia varia, diverſæ eiuſmodi boni parandi rationes: quare

CONCLUDO. *Diviſio Ethicæ in Monaſticam, Oeconomicam, & Politicam, adæquata eſt, & Generis in Species.*

Adæquata eſt: quia totuplex Ethica ſpecialis, quotuplex bonum, imperium, officium, & ſtatus vivendi hominis: hinc enim petenda eſt Ethicæ diviſio: Atqui triplex tantum bonum procurari poteſt, ſcilicet privatum, domeſticū, & publicum: triplex demum ſtatus vivendi, ſcilicet privatim, in familia, & civitate: Ergo adæquata eſt diviſio Ethicæ in Monaſticam, Oeconomicam, & Politicam.

Eſt quoque Generis in Species, quia hæ diſciplinæ ſpecie morali differunt, quæ diverſa

moraliter habent obiecta, diverſos quoque fines: Atqui Monaſtica, Oeconomica & Politica diverſa habent obiecta, diverſos quoque moraliter fines. Obiecta quidem, quia Monaſtica reſpicit hominem privatum vt privatus, Oeconomica membrum familiæ ut ſic: Politica demum membrum civitatis ut ſic: Fines quoque, quia Monaſtica procurat bonum privatum ut ſic, Politica bonum publicum ut ſic: At homo privatus ut ſic, membrum quoque familiæ & reipublicæ, differunt ſpecie morali: bonum quoque privatum ut ſic, familiæ & civitatis: horum enim unum ſæpius deſtruit alterum. Sic bonum privatum patris-familias ſeneſcentis eſt quies à laborioſis muneribus, è contra bonum ipſius familiæ, ſunt hæc laborioſa munera, quibus familiæ accedit nomen & ſplendor, & liberorum augetur patrimonium. Bonum quoque reipublicæ perimit bonum familiæ: ſic bonum erat Reipublicæ Romanæ, ut morte proprii filii, qui ſingulari duello cum Geminio Metio congreſſus erat, Manlius Torquatus parens ſanciret Conſulum *Decad. 1. l. 8. c. 7.* Imperia (ut ipſe loquitur apud Livium) filium damnans ad mortem: malum vero erat familiæ Manlianæ, cuius columen eſſe debebat aliquando Titus Manlius, ſub patre Conſule jam Equitum præfectus, & qui relatâ ſolo ſuiipſius diſcrimine ſine fuſo civium ſanguine ex Latinis hoſtibus victoriâ toti populo Romano erat acceptiſſimus: Ergo diviſio Ethicæ in Monaſticam, Oeconomicam & Politicam eſt generis in ſpecies.

2. Polit. Ais primo: Hominis ſolitariè viventis turpis eſt vita, homo enim ſolus, eſt fera (inquit Philoſophus) Ergo non requiritur ulla Moralis ad ſic vivendum.

Diſtinguo Antecedens. Solitariè viventis ex feritate, Concedo; talis fuit Timon Athenienſis dictus μισάνθρωπος: Solitariè viventis ex ſtudio virtutis, Nego: Hinc ibi Philoſophus non dicit abſolutè ſolitarium eſſe feram, ſed vel eſſe feram vel homine meliorem. Scilicet rari ſunt qui inter publicos tumultus, & communem nequitiam Adiã:hum imitentur, quod aquis immerſum non madeſcit, vel Gangem, cujus aquæ nativum medio in mari feruntur ſervare dulcorem. Hinc. *Theophraſt. Hiſt. Plant. l. 7. c. 13.*

——————exeat Aula
Qui volet eſſe pius. *Lucanus.*

Certè ut *ſolitudinis palæſtra difficilis* eſt, ait S. Cyprianus, ſic & *ſolitudine vitia multa vitantur*, loquente D. Hieronymo: atque ut *Chriſtus gloriam ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtravit* ex Tertulliano, ſic & *Eremi ſolitudo multos ſpiritu ferventes evomuit*, inquit Mellifluus Bernardus: *Eremus*, ait Lugdunenſis Antiſtes (in Epiſtola ad Hylarium) *fidei ſedes, virtutis arca, veritatis ſacrarium, pietatis Theſaurus, iuſtitiæ promptuarium: nam ſicut in magna domo pretioſa quæque clauſtris obſignata in remotis habentur, ſic & hos Deus ſibi pretioſiſſimos hominum aſpectui ſubduxit. O felices hos rectiſſima æternitatis avaros, bene prodigos brevitatis, incurioſos præſentis, temporis certos futuri! Mihi*, ait S. Hieronymus, *oppidum carcer & ſolitudo paradiſus. Et Moïſes ut legem daret populo Iudæorum, quadraginta annis eruditur in Eremo:* Sileo alios Patres, à quorum ſenſu non abfuerunt Authores prophani. Seneca paſſim, Plutarchus lib. de tranquillitate, & apud Stobæum ubi ἡ ἐρημία inquit σοφίας ἐστὶ γυμνάσιον ἠθοποιὸς ἀγαθὴ, καὶ πλάττει, καὶ μετευθύνει

Tribuitur S. Eucherio qui vivebat circa an 440.

Ep. ad Ruſticum Monach.

Epiſt. 10. 69. de Sermon. 96.

τῶν ἀνθρώπων τὰς ψυχάς: ſolitudo cum ſit ſapientia gymnaſium & palæſtra, bene inſtituit mores, format & dirigit hominum animos.

Ais 2. Eadem medicina medetur privatis familiis & civitatibus: Ergo & Ethica.

Nego paritatem: quia iidem ſunt morbi corporei hominum privatim viventium in familiâ, civitate; eadem quoque ſanitas: at non ſunt iidem morbi, eademque ſanitas moralis hominis privati & patris familias, hujus & magiſtratus: Morbus enim hominis privati, eſt cura congerendi pecunias & metus inſumendi, ſanitas verò contemptus: è contra contemptus bonorum eſt morbus in patre familias, qui ut dedit filiis eſſe, ſic & tenetur procurare conſequentia ad eſſe.

Ais 3. Monaſtica refertur ad Oeconomicam, hæc ad Politicam; Ergo non differunt ſpecie.

Nego antecedens: Quia neque objectum unius neque finis refertur ad finem alterius, quin imo ei ſæpius opponitur, ut oſtendi. Deinde dato Antecedente,

Nulla conſequentia. Licet enim anima vegetativa in fœtu ſubordinetur ſenſitivæ, hæc rationali, in ſententia multorum, non deſinit ſpecie diſtingui. Pariter licet formæ Elementorum ſint ſubordinatæ formis mixti, apud eos qui ponunt elementares in mixto, non qualitates modo, ſed & formas, non deſinunt tamen ſpecificum ab invicem ſervare diſcrimen. Certè omne inſtrumentum ſubordinatur cauſæ principi: Ergone ideo idem ſpecie? Nugæ.

Ais 4. Homo priuatus non differt ſpecie à cive: Ergo.

Diſtinguo antecedens: Specie Phyſicâ, quia ſunt ex æquo homines, concedo: ſpecie Morali, Nego: quia diverſos habent fines, at à finibus

ſpecificatio moralis petitur.

Ais 5. Datur peculiare officium erga vicinos & amicos: Ergo mutila eſt diviſio.

Nego Antecedens: Monaſtica enim dictitat officium amici ad amicum, quia amicus eadem eſt perſona cum amico, meus amicus eſt alter ego: Qui ergo conſulit amico, ſibi ipſi conſulit. Item amicus eſt bonum proprium amici; nam ut amico jus tribuit amicitia in bona amici, ſic & in ipſam amici perſonam. *Vetus verbum hoc quod dicitur*, ait illuſtris Comicus, *communia eſſe amicorum inter ſe omnia.* 9. Eth. c. 9 Terent. in Adelphis

Politica vero dictitat etiam officium erga vicinos: Ita enim agimus cum vicinis ac cum concivibus, licet fortè majori affectu noſtra ipſis officia exhibeamus, quod enim Satyricus.

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium & numquam ſanabile vulnus, Iuvenal. Satyr. 15.

Id non de ejuſdem civitatis incolis, qui ſub eodem Principe & ſub iiſdem legibus vivant, ſed populis finitimis intelligendum.

DUBIUM ALTERUM.

De ordine dignitatis inter Philoſophiæ Moralis ſpecies.

CONCLUDO. *Politica præſtantior eſt Oeconomicâ: hæc Monaſticâ.*

Probatur. Ea diſciplina præſtat alteri, cujus nobilius objectum, nobilior quoque finis: ab his enim ſpecificatur: Atqui Politicæ objectum nobilius eſt objecto Oeconomicæ; objectum Oeconomicæ objecto Monaſticæ, quia Magiſ-

tratus & civitas præſtat familiæ & patri familias, familia & pater-familias uni ſolitario. Finis quoque præſtantior, quia bonum publicum quod procurat Politica, præſtat bono familiæ, hoc bono unius: Præclarum eſt enim
1. Eth. 1. (ait Philoſophus) ſi unius procuretur bonum, at vero ſi gentis & civitatis, pulchrius & divinius: ergo Politica præſtat Oeconomicæ, hæc Monaſticæ.

Ais 1. Tenetur quiſque præferre bonum proprium & ſalutem bono familiæ: Ergo Monaſtica præſtat reliquis.

Nego 1. conſequentiam: Licet enim vinitor conductitius teneatur ex pacto fodere vineam per totum diem, ita ut peccaret ſi tempus hoc impenderet orando in Eccleſia, non ſequitur fodere vineam præſtantius eſſe, quam orare in Eccleſiâ.

Diſtinguo 2. antecedens. Tenetur quiſque præferre bonum proprium, quatenus proprium eſt, Nego: quatenus eſt bonum alterius, omni bono majus, Concedo. Explico. Tenemur præferre ſalutem æternam propriam cuilibet alteri bono: *quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* ait Chriſtus: Sed non tenemur, quia ſalus æterna proprium eſt noſtrum bonum, ſed quia bonum eſt negativum ipſius Dei, quod negligere non poſſumus ſine infinito malo: non poſſumus enim alienam procurare ſalutem cum diſpendio propriæ, quin peccemus mortaliter: Peccatum autem mortale infinitum eſt malum, infinita offenſa Dei. Non peccando igitur procuramus bonum Dei negativum infinitum; id eſt carentiam mali infiniti. Si ergo

ſine peccato omnium hominum ſalutem cum noſtræ diſpendio procurare poſſemus, ſanè longè melius faceremus & laudabilius: ſic Apoſtolus optabat fieri anathema pro fratribus ſuis: Si ergo tenemur noſtram ſalutem præ aliena curare, id fit & quia noſtram negligere non poſſumus ſine peccato, & alienam tam certo ac noſtram procurare non poſſumus, quia non poſſumus tam eſſe domini alienæ voluntatis quam noſtræ: Nemo enim ſalvatur niſi volens: velle autem ut poſſimus, neminem ut velit certo adigere poſſumus.

Ais 2. Politica non ſectatur honeſtatem, non enim quæritur quo fine agat Politicus, modo bonum publicum procuret: Ergo non eſt ſpecies nobiliſſima Ethicæ.

Diſtinguo antecedens. Politica apparens, ſpuria, & diabolica, Concedo; vera & Chriſtiana, Nego. Nulla enim Politica niſi honeſta, & qui viis illicitis publicum procurare videtur bonum, non tam procurat bonum quam malum, quia injuſta ſunt quæ injuſtè mala; quæ male fiunt. Oportet, inquit Philoſophus, optimam civitatem de virtute maximè eſſe ſollicitam. *l. 3. Polit.* Tuncque civitates cadunt & intereunt, ajebat olim Antiſtenes, cum boni nequeunt à malis diſcerni. *Apud Diogen. Laert. c. 9.*

A page ergo Pſeudo-politicos ſinceræ virtutis fideique ſpretores & hoſtes, qualis Machiavellus, cujus conſiliis, inquit Ant. Poſſevinus (ut alios ſileam, qui in nefaria ipſius dogmata ſtylum acuerunt) qui adhibuerit fidem, facillimè ſentiet non ita multo poſt quantumcumque ſolidum principatum, Rempublicam, Regnum, Imperium convelli & cadere: quid enim exitioſius quam ſine fide, ſine clementiâ, ſine reli-

gione, ſine ulla denique virtute rectè adminiſtrari rempublicam? Religione atque pietate ſubditorum animos deprimi, Principis ſævitia in officio contineri ſubditos, tunc rite ſuam Principem ſuſtinere dignitatem cum pejerat, fallit, atque diſſimulat: felicem maximè Principem quem populus non diligit, tutam civitatem quæ diſſidia & factiones nutrit: Regem illum ſapientem, qui boni publici ſtudioſos & amantes tollit: Atqui hæc aliaque regiam decere perſonam docet Machiavellus tum in ſuo Principe, tum in ſuis ad Livium diſſertationibus: quæ quàm à vero abhorreant alibi patebit.

COROLLARIUM.

Ex dictis hactenus ſequitur, ut finis peculiaris eſt trium harumce ſpecierum Ethices, peculiaria quoque officia & media ad uniuscujuſque conſectationem, peculiarem ſibi quoque unamquamque, & ab Ethica univerſali, poſtulare tractationem. Ab invicem, patet & vulgo fatentur. Ab Ethica vero generali, quia ut finis alius, ſic & aliud eſt officium hominis ut homo eſt, aliud hominis ut privatus eſt, aliud ut eſt membrum familiæ, aliud ut civis; ni enim aliud eſt, ergo tres illæ non ſunt ſpecies Ethicæ: quid ita? nempè cuilibet ſpeciei prĕter rationem genericam convenit ratio propria ſeu differentia ſpecifica: differentiæ ſpecificæ diſciplinarum Moralium à fine repetuntur: pro varietate finium varietas officiorum, pro varietate officiorum documentorum varietas: Ergo à 1. ad ultimum vel obliteranda diviſio à vulgo recepta Ethicæ in Monaſticam, Oeconomicam & Politicam, ut Generis in Species, vel propria, pecu-

liariſque ſingularum debet eſſe tractatio.

Ex quo duplex error convellitur: primus vulgaris & communiſſimus, quo Monaſtica dicitur explicari in Ethica generali, quaſi præcepta utriuſque coincidant:alter, quo conceſſo quod peculiaris debeat eſſe Monaſticæ (de qua maximè agitur) ab aliis ſpeciebus tractatio; hæc ipſius perhibentur præcepta, quæ homini ut homo eſt conveniunt, adeoque non tantum privato, ſed & membro familiæ & reipublicæ. Sic alicui è noſtris, etſi alioqui ut de Academiâ optime merito, ſic & mihi conjunctiſſimo, hæc viſa ſunt eſſe Monaſticæ documenta. 1. ut homo mane ſurgat, ut velociter abſque cunctatione, certâ horâ, rebus ſeriis incumbat, Deum adoret, amet ex intimis animæ medullis, corpus veſtiat, ut corpus ſic & mentem paſcat, otium fugiat, ſomno indulgeat, de morte cogitet. Hæc quis neget? at propria-ne ſunt homini privato ut privatus eſt? Ergone nudi incedent Magiſtratus, algebunt Principes, ad longam diem ſtertent patres familias aut nugabuntur, & Dei immemores ſe præſtabunt & ſui, ita ut nec Numini litent, nec ſumptis alimentis incolumem producant vitam? Alia ſane cogitanda ſunt privati hominis officia: quod mox patebit.

ETHICÆ PARTICVLARIS.
PARS PRIMA.

ELEMENTA MONASTICA.

FOELICITATEM privatam ubi demonſtravero, media ad ipſam ſubminiſtrabo.

TRACTATVS PRIOR.
De fœlicitate privatâ.

TRibus maxime continetur, tranquillitate mentis, amicitiâ, & bonorum externorum ſufficienti copiâ. De hâc vel nulla vel levis difficultas, quis enim in ſummâ pauperie beatus credatur, quod malorum extremum vocat Plutarchus? Ergo.

CAPUT PRIMUM.
De Tranquillitate animi ad felicitatem privatam neceſſariâ.

CERTUM eſt anxietatem & graviores curas maximum cujuſvis ſtatus felicitati impedimentum eſſe & obſtaculum: quam enim optabilis eſt amica in bonis quies, tam ingrata ex malorum ingruentiâ ſollicitudo & perturbatio: *Beatus* enim *& ſapiens ille eſt*, ait Seneca, *qui plenus gaudio, hilaris & placidus, inconcuſſus cum diis ex pari vivit. Hoc ergo cogita*, *Epiſt. 60.*

hunc eſſe ſapientiæ effectum, hanc gaudii qualitatem. Talis eſt ſapientis animus qualis mundi ſtatus ſuper Lunam: ſemper illic ſerenum eſt, unde apud Epicurum, inquit iſdem, *duo bona ſunt ex quibus ſummum illud beatumque componitur, ut corpus ſine dolore ſit, animus ſine perturbatione.*

Tranquillitas ergo animi ad bene beateque, in quovis vitæ genere degendum prorſus eſt neceſſaria: ſed peculiaris requiritur ad privatam hominis privati felicitatem: nimirum tranquillitatem mentis facit immunitas à curis & agitationibus: At peculiaris requiritur ad felicitatem privatam à curis & agitationibus immunitas, quæ non conveniat felicitati Oeconomicæ & Politicæ: felicitas enim Oeconomica curas compatitur, imo exigit procurandi & augendi boni domeſtici & familiæ: felicitas quoque Politica augendi publici & civitatis: At utriuſque hujus ſollicitudinis expers eſt felicitas privata, quia privatus, vivens ut privatus, nec familiam curat, nec rempublicam: Ergo peculiaris requiritur ad felicitatem priuatam animi tranquillitas.

Igitur animi quies, quæ ad privatam facit felicitatem publicas non compatitur ſollicitudines, nec domeſticas, adeoque & major eſſe debet, quam in ullo alio vivendi genere: quâ ſane ſi iis, quæ ad bonum publicum ſuſcipiuntur, curis major, quia communis, non aſſereretur felicitas, nihil homini ſapienti & cordato contingere poſſet optabilius. Scil. inquit Euripides apud Stobæum, qui plurima facit, is & plurimum peccat. *Magnum & ſummum eſt, Deoque vicinum, non concuti,* ait Seneca, *hanc animi ſedem ſtabilem Græci* εὐθυμίαν

Serm. 56.
lib. de Tranquill. animi c. 2.

vocant; de qua Democriti volumen egregium eſt, ego tranquillitatem voco. Nuſquam, ait iſdem Seneca, *tam feliciter in cuncta diſcurrenti negotia dies tranſit, ut non aut ex homine aut ex re offenſa naſcatur, quæ animum in iras paret: quemadmodum per frequentia urbis loca properanti in multos incurſitandum eſt & alicubi labi neceſſe eſt, alicubi retineri, alicubi reſpergi, ita in hoc vita actu diſſipato & vago multa impedimenta, multæ querelæ incidunt, alius ſpem noſtram fefellit, alius diſtulit, alius intercepit, non ex deſtinato propoſita fluxerunt: nulli fortuna tam dedita eſt ut multa tentanti ubique reſpondeat.* Et poſt. *Vt quietus ſit animus, non eſt jactandus nec multarum rerum actu fatigandus nec magnarum.* Cæterum ut *nulla placida quies eſt, niſi quam ratio, compoſuit* ex Seneca, ſic *non contingit tranquillitas vera & perfecta, niſi immutabile certumque judicium adeptis: illa tranquillitas vera eſt in quam bona* mens *explicatur*, ſcilicet *ad veram tranquillitatem ut multum locus conferat, animus eſt qui commendat omnia.*

l. 3. de ira cap. 6.

Epiſt. 58. Ep. 96. Ep. 56.

Epiſt. 55.

CAPUT II.

De Amicitiâ.

AMICITIA maximè pertinet ad vitam Monaſticam: Cum enim Monaſtica hominem dirigat erga ſeipſum & ad proprium bonum, ad eam pertinebit amicitia, quæ hominem dirigit erga amicum, qui eſt alter ipſe: qui enim vere amat amicum, ſeipſum amat.

Amicitia non eſt confundenda cum amo-

re,

re, dilectione, benevolentiâ, concordiâ, & beneficentia; nam,

Dilectio ſeu amatio eſt inclinatio rei amantis in amatam.

Amor eſt inclinatio in iucundum cognitum. Nemo enim, inquit Philoſophus, amore capitur, qui non fuerit formâ vel ſpecie delectatus: amor & amatio reperiuntur in brutis, canis enim alium canem amat & herum.

Benevolentia, quaſi bona voluntas, quâ nempe bonum alicui volumus & optamus.

Beneficentia eſt inclinatio ad bene faciendum.

Concordia proprie eſt conſenſio plurium circa agenda: Conſenſio enim in ſpeculativis minus proprie dicitur concordia.

Amicitia autem eſt benevolentia mutua, non latens, confirmata ob probitatem.

Eſt benevolentia mutua: amici enim ſibi mutuo bonum volunt & optant: niſi enim uterque amet (ait Plato) neuter amicus eſt.

Eſt confirmata & ob probitatem cognita: nec enim uno die gignitur amicitia, ſed debet uſu eſſe firmata, nec quivis mutuus amor eſt proprie amicitia, qui enim alium amat, vel quia ſibi utilis eſt, vel voluptatem parit, hic proprie non eſt amicus. Hinc Mercatorum cum invicem proprie non eſt amicitia: Hinc nec ipſorum Juvenum, inquit Philoſophus, quia ſolam voluptatem conſectantur, nec amant inter ſodales niſi eos quorum ſocietas voluptatem conciliare poteſt & delectationem: & re vera qui alium ob utilitatem amat vel voluptatem, eum non tam amat quam ſeipſum, quia eum non amat niſi propter ſeipſum.

Amicitia demum ut ſit vera, debet non eſſe latens ſed cognita: qui enim ſe equidem amant mutuo, neſciunt tamen ſe ab invicem amari, ii non ſunt proprie amici. Hæc autem notitia & certitudo reciproci affectus non debet eſſe metaphyſica: pravum enim, inquit Scriptura, & inſcrutabile eſt cor hominis, ſoluſque Deus certo cognovit corda filiorum hominum, ſed ſufficit quod ſit Moralis, fundata in experientia diuturna, longo convictu, & familiaritare exploratа.

Amicitia virtus eſt ex duabus compoſita, eſt enim reciproca, adeoque & complectitur eam quæ eſt in uno amico amante & alteram quæ eſt in altero amico redamante. Virtus eſt autem, quia eſt habitus ſe mutuo amandi ob honeſtatem probitatis & virtutis. Habet ergo honeſtum motivum: Quid enim honeſtius quam alium diligere ob virtutem? Si enim hæc habet illecebras quibus ad ſui amorem mortales rapiat, habet & ut eos quibus ineſt reddat amabiles: cognitio itaque honeſti in virtute prædito benevolentiam excitat: hanc ſequitur amor, hic ubi conſpicuus euadit in amato, ſimilem progignit: hinc amicitia.

Ergo perit amicitia inter duos amicos, ſi vel unus tantum amare deſinat, licet non deſinat alter, quia amicitia non eſt virtus ſimplex, ſed aggregatum ex duabus, ſublata autem vel una parte deſinit totum.

Eth. I. Amicitiâ vix quicquam optabilius eſſe & melius multis probat Philoſophus, ut ſine quâ nemini etſi cætera affluant bona, tolerabiliter vivere liceat, ἄνευ φίλων οὐδεὶς ἂν ἕλοιτο ζῆν, inquit ibi Philoſophus, ἔχοντα λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα: præterquam quod enim, loquente Philoſopho

eſt omnium bonorum externorum maximum τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν μέγιστον, virtus eſt quoque & virtutis comes: Ipſa conſors eſt juſtitiæ, civitatis nexus & vinculum, juventutis præſidium, ſenectutis ſolatium, divitiarum adminiculum, paupertatis perfugium, humanarum actionum optabiliſſima meta, quietis parens, gaudii & delectationis.

Conſorts eſt juſtitiæ, civium enim jura ſervat & inſtituta, nec ad juſtitiam recurrendum eſt, niſi ubi deficit amicitia φίλων μὲν ὄντων οὐδὲν δεῖ δικαιοσύνης, inquit Ariſtoteles. S. Eth. n

Hinc &

Civitatis eſt vinculum, adeoque & præſtantiſſimum bonum, quid enim melius civitati quam concivium unio? quæ fundamentum, ὑπόθεσις, inquit Plato, ut cives ſint quam 5. de Legibus beatiſſimi. Hinc Saluſtius: *Concordiâ res minimæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur*, quæ autem major unio eâ quæ ex civium amicitia naſcitur?

Juventutis eſt præſidium; nihil enim melius adoleſcenti, & juveni, quam amicum habere ſenem, quem longa experientia in rebus humanis verſatiſſimum certo conſulat in agendis.

Senectutis ſolatium: ſolatium enim eſt ea in ætate cui vires negavit natura, habere ſuorum conſiliorum executores, ut ratiocinatur Philoſophus: At infirma eſt ſenectus, juventus vegeta: illa agenda proponit, hæc exequitur & quidem eò melius ac vehementius, quo majori amicitia, & conſtantiori ſtimulatur.

Divitiarum eſt adminiculum, ut enim ait ibidem Philoſophus, inanes ſunt divitiæ, quas non effundit amicitia in amicos, periculoſæ ob-

incertam Regum gratiam, quas amica ſecuras non facit protectio. Nempe in difficilibus & ærumnoſis amico melius nihil, nihil optabilius.

Paupertatis atque calamitatis eſt perfugium, quem enim adverſa premente fortuna alium advoces in opem ab amico? Hinc afflictus Job
Iob. 19. v. 21. & calamitatibus preſſus ad amicos, *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

Humanarum denique actionum & totius vitæ quies eſt & meta, ſine quâ nulla voluptas, nullum gaudium ſyncerum. Homo enim natus eſt animal ſociale ἄνθρωπος φύσει ζῷον
1. Polit. 2. πολιτικὸν, inquit Philoſophus, οἰκεῖον ἅπας ἄνθρωπος καὶ φίλον ἀνθρώπῳ: Ut animi ſenſa promat exigit ſocietas; cui autem ſecure & cum gaudio reſerabit niſi amico? Sane nemo eſt experientia edoctus, qui miſerrimam merito non exiſtimet eorum ſortem, qui ſynceris carent amicis.

Eſt homo conſortes ad vitæ conditus uſus
Ut poſſit pietas officiumque coli.

Solatium hujus vitæ eſt, ait ſanctus Ambro-
l. 3. Offic. ſius, *ut habeas cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, cui ſecreta pectoris tui committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in proſperis gratuletur tibi, in triſtibus compatiatur, in perſecutionibus adhortetur.* Et Caſſiodorus: *Sine amicis omnis cogitatio eſſet tædium; omnis operatio, labor, omnis; terra peregrinatio; omnis vita, tormentum, ſine quorum ſolatio, vivere eſſet mori.*

Contrahitur ergo amicitia ad honeſtæ vitæ tranquillitatem & perfectionem: Hanc excitat, cum ſtudiorum ſimilitudine, (aliiſque de

quibus poſtea, ubi canones recte parandæ, ſervandæque incolumis amicitiæ tradeмus) excitat impellens virtus & cognita. Impellens in amante, cognita in amato, amicitia enim ad virtutem collimat virtutis proles.

Amicitia ſedem habet in voluntate, amare enim & redamare voluntatis eſt, ſed non in quavis voluntate, ut dicemus, ſed tantum virtute inſtructâ & probitate inſigni.

Amicitia generatim vel naturalis eſt, qualem ait Philoſophus, in omni ſpecie animalis, inter generans & genitum occurrere: vel proprie dicta (de quâ agimus) & ab electione libera, quæ vel eſt æquiparantiæ, vel diſquiparantiæ.

Amicitia æquiparantiæ contrahitur inter æquales, ut inter civem & civem, & magis proprie eſt amicitia, quia inter æquales conjunctio major eſt & unio.

Amicitia diſquiparantiæ initur inter inæquales, quorum ſcilicet inæqualià munera & officia.

Extenditur aliquando amicitia ad amorem concupiſcentiæ, ut cum quis amat alterum ob utilitatem vel voluptatem, & tunc dicitur reflexiva, quia ſic amans reffectit ſupra ſeipſum, cum è contra amicitia vera, quâ aliquis alium diligit ob proprium meritum, abſque ulla ratione commodi, dicatur directa.

Hæc amicitia reflexiva integra ſtare diu nequit & incolumis: ſeu enim utilitatis ſpe, ſeu fruendæ voluptatis initur, incerta ſemper ac inſtabilis facileque diſſoluitur. *Quas amicitias utilitas conglutinat*, inquit Tullius, *eaſdem cõmutata reſolvit.* Si enim amas, quia tuis commodis opportunum & promovendæ rei tuæ In Lælio. Idē habet l. 4. ad Heremiū.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

familiaris potentem, amare deſines, ubi ſævientis in proprios fœtus fortunæ procellis jactatus, officia expectabit tua, præſtare amplius non poterit.

Ovid. 5. de Triſtibus.

Paſſibus obliquis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.
Sed modo læta manet, modo vultus ſumit acerbos,
Et tantum conſtans in levitate ſua eſt.

Tu pariter ejuſmodi fortunæ tuæ, quam tibi, addictiores.

Donec eris fœlix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

At nec firmior, quæ propter voluptatem, aliam ab ea quæ virtutis eſt individua comes, contrahitur. Vt enim mutantur hominum ætates: ſic & affectus, atque propenſiones? quæ ſenibus gratiſſima, atque jucunda, juvenibus ingrata ſunt, ſæpiuſque moleſta, & viciſſim. Quin & manente eodem genio, vigentibus iiſdem affectibus, idem objectum quod modo maxime placebat, diſplicet, eadem facies quæ lævis aliquando, terſa & nitida, rugoſa efficitur & marcida.

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.
Nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent;
Et riget amiſſâ ſpina relicta roſâ.

Hinc apud Poëtarum genium ubi Metampſychoſim ſuam, ſeu varias animarum in corpora migrationes, deſcribit, prædicatque Pythagoras: quæ aliquando mulierum pulcherrima ab ipſo, quod amoribus præerat, Numine exiſtimata, ubi anilibus rugis aſperum, atque deformatum vultum aſpicit,

Helena.

—cur ſit quoque rapta requirit.

Merito ergo Tullius. *Amicitiæ locus ubi eſſe poteſt, aut amicus eſſe cuiquam quem non ipſum amet proptir ipſum?* & *amicitia impeditur ratio ſi ſummum bonum in voluptate conſtituitur.* l. 2. de fin. l. 1. de fin.

DUBIA SELECTA DE AMICITIA.

DVBIUM PRIMUM.

An amicitia ex indigentiâ?

AFFIRMAT Plato in Lyſide & alibi: negat Tullius in Lælio. Platonem à Tullio vindicare nititur Fr. Picolhomineus : Ego Tullium à Picolhomineo : Ergo *Vera amicitia non naſcitur ex indigentia.* Probat Tullius.

1. Quia ut quiſque valetudinis minimum in ſe eſſe arbitraretur, ita eſſet ad àmicitiam aptiſſimus, quod longè ſecus eſt, ut enim qniſque ſibi plurimum confidit, & ut quiſque maxime virtute & ſapientiâ ita munitus eſt, ut nullo egeat, ſuaque omnia in ſe uno poſita judicet, ita in amicitiis expetendis, colendiſque maxime excellit.

2. Quia ſi amicitia ex inopiâ naſceretur quæ amico conferremus beneficia, ea fœneraremur: Amico enim benefaceremus, ut viciſſim benefaceret nobis, nec amicum propter ſeipſum ſed propter noſmetipſos amaremus: quid ita? nempè

nempe qui ex inopiâ bonum amat, hoc non amat quia in ſe, ſed quia ſibi bonum: At amicus, ut & amici probitas, propter ſe expeti debet.

Certè amor amicitiæ alius eſſe debet ab amore concupiſcentiæ, ex omnium conſenſu: At ſi amicitia ex inopiâ proficiſcitur, ſi amicitiam parit egeſtas, illico iſdem erit uterque amor, quia amabitur amicus ob bonum ex ipſius conſortio emergens, quo egeſtas illa tollatur.

At, inquit Picolhomineus, amicitia eſt ad vitæ conjunctionem, ſocietatem, beatitatem: His egemus: Ergo & amicitiâ.

Eſto. Quid tum? Ergo, inquiet, ex inopiâ proficiſcitur: Haud ſequitur. Aliud eſt enim egere nos amicis ad bene beateque vivendum: aliud ex inopiâ hâcce oriri amicitiam. Inopia illa excitat amorem concupiſcentiæ; amicitiæ non excitat, ſed ſola probitas propter ſemet amanda. Quid ita? Etſi, per impoſſibile, nuſquam aperiri poſſet alteri affectus, quo eum ob probitatem diligis, & virtutem, idque non ignorares, diligere tamen deberes & poſſes hâc ratione, quia bonus: at tunc amorem huncce amicitiæ (ſcilicet inchoatæ, quia non reciprocæ) ex inopia natum haud dixeris.

At omnis amicitia, ut & amor, ad unionem cum re dilecta collimat. *Dum abs te abſum* (inquit Comicus) *omnes mihi labores fuere quos cepi leves, præterquam tui carendum quod erat.*

Collimet ſane; Ergo ex inopia rei amatæ naſcitur, quæ ejus acceſſu, & conjunctione tollatur? Haud ſequitur. Nam & Dei amor erga nos verus eſt, imo vera amicitia, ſi creda-

Lib. de Providentia. mus Senecæ, ac neceſſitudo: amor ille ad unionem quoque nobiſcum tendit maximè: unde Incarnatio opus dicitur à ſanctis Patribus immenſi amoris; unde & Spiritui ſancto tribuitur (ſcilicet per appropriationem, ut loquuntur Theologi.) *Sic Deus*, inquit Apoſtolus, *dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. Et iſdem Filius incarnatus: *Si quis*, inquit, *diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus:* Et Euchariſtiæ inſtitutio, quâ Chriſtus qui per gratiam poterat uniri nobis, etiam intimus ſui corporis præſentiâ nobis eſſe voluit. Quis tamen ſummum huncce Dei erga nos amorem ex indigentia profectum deliraverit? *Ego dixi*, ait pius Rex, *Domino meo: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Joan. 23.

Fateor inopiam non cadere in Deum, cadere in hominem amicum: Ideo amori amicitiæ conjunctum velimus in nobis amorem concupiſcentiæ ex eâ natum, qui in Deo creaturam diligente non reperiatur. Amat homo virtute præditus alterum quia bonum, amat eumdem ad vitæ ſocietatem & felicitatem, qui miſeram alioqui triſtemque abſque amicorum jucundâ conſuetudine vitam ſibi agere videretur: Illud altæ virtutis erit, hoc infirmitatis laudabiliter ſui ſollicitæ; amor ille amicitiæ erit divinæ imitatricis & æmulæ, hic concupiſcentiæ.

DUBIUM II.

Vtrum melius amare an amari.

AMOR etiam honeſtus vel eſt concupiſcentiæ vel amicitiæ, quem cognita probitas & virtus parit.

1. *Melius eſt amari amore concupiſcentiæ, quam amare.* Melius enim eſt & dignius cæteris paribus quod perficit, quam quod perficitur: inopia enim & egeſtas nota eſt imperfectionis: At qui amat amore concupiſcentiæ, egeſtate preſſus amat: Ideo enim amat & fertur in bonum, quia, ſibi ipſi non ſufficiens, ejus adeptione beatur: è contra qui amatur, perficit: ut patet.

2. *Inter æquales amari melius eſt, quam amare moraliter, non phyſicè.*

Melius eſt moraliter: quia imprimere motum moraliter, melius eſt quam impreſſum recipere: hoc enim patientis, illud agentis eſt: agere autem melius quam pati: Atqui res amata moraliter motum imprimit amanti: trahit enim ad ſe & movet: hinc motio finis eſt & objecti: hinc tritum Auguſtini, *Amor meus*, (id eſt id quod diligo) *pondus meum, illo feror quocumque feror.*

Non eſt melius phyſicè, imo: quia agere phyſice nobilius eſt quam otiari aut pati: Unumquodque enim eſt propter ſuam operationem: & entium quæ actuoſa maxime, ea præſtantiſſima: Atqui amans neceſſario agit; qui amatur autem non: Ergo.

Nota ſupponi in utroque, amante ſcilicet & amato, parem dignitatem, excellentíam, ac virtutem.

DUBIUM III.

An amicitia affinitate potior.

SENSUS quæſtionis duplex eſſe poteſt. An nobilior ſit amicitia conſanguineitate?

An præferendus ſit amicus affini & conſanguineo? nec enim ſemper præeligenda, quæ dignitate ſunt potiora: nam v. g. ſtatus virginalis & cælebs dubio procul nunc longè dignior eſt conjugali: ergone ideo præeligendus neceſſario? Non ſequitur. Quare etſi nobilior foret amicitia affinítate, vel vice verſá, non tamen ideo præferenda foret affinitati amicitia, ſeu amicus affini. His poſitis,

Amicitia dignior eſt conſanguineitate.

Ratio probat.

1. Phyſica: quia qualitas dignior eſt relatione: At conſanguineitas mera relatio eſt, nempe ordo ad idem principium, vel immediatus, ut ínter fratres; vel mediatus, ut inter conſobrinos: Amicitia vero qualitas eſt, quia habítus & virtus.

2. Moralis. Id nobilius & excellentius, quod plura, eaque nobiliora, poſtulat: Atqui amicitia plura, & quidem præſtantiora flagitat, quam conſanguineitas: poſtulat enim probitatem in amante & amato: probitas autem cum aliquo vitio nulla; bonum enim ex integra

cauſa; malum ex quocumque, vel minimo, defectu : ejuſmodi probitatem & virtutem non poſtulat conſanguineitas.

Urgeo. Non eſt dignius & excellentius in aliquo, habere alterum originis ſuæ, fortè obſcurioris, participem, quàm ab aliquo claro & illuſtri natum eſſe : ſi quæ enim dignitas & excellentia in affinitate, tota certè ex trunco, cujus affines ſunt veluti rami : Atqui virtus amicitiæ prævia & præſuppoſita magis ad alicujus confert dignitatem & excellentiam, quàm illuſtris origo, quàm parentum claritas & virtus, imo longa nobilium & egregiè geſtis commendatiſſimorum Majorum ſeries : bene enim Satyricus; Iuve. 8.

Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Alcidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas;
Quam te Therſitæ ſimilem progignat Achilles

Certè ut notat iſdem egregiè.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

2. *Cæteris paribus, id eſt, poſitis æquali virtute, merito, &c. præferendus eſt affinus amico in omnibus officiis.* Nam ut te virtus amici ſollicitet ad amorem, beneficentiam, & opem, ſollicitat cum eadem virtute ſociatus naturalis ardor, quo feruntur in invicem ſanguinis communione conjuncti: At virtutis & naturæ ſimul vis major & impetus.

3 *In officiis naturalibus, quæ ad corporis vitæque conſervationem pertinent, affines amicis ſemper prætuleris, etſi virtute meritoque inferiores :* Sic eſurienti fratri panem, nudo veſtem, potius quam amico obtuleris : hoc enim natura jubet, cui, ſeu Numini, nemo inſons obſtiterit,

4. *In officiis merè civilibus & moralibus, quæ ad comitatem & mutuam conſuetudinem pertinent, amicus affini anteponendus.* Hoc enim ſibi juris vindicat virtus, hoc perſonæ ea inſtructæ dignitas & excellentia.

DUBIUM IV.

An vera amicitia cum improbis.

RESPONDEO negativè.

1. Quia amicitia vera naſcitur ex virtute, eſtque etiam virtus, ut diximus: At in improbis non eſt virtus. Hinc Caſſiodorus: Vera amicitia tantum inter bonos oritur, inter bonos proficit, inter optimos conſummatur.

2. Quia ut ratiocinatur Philoſophus, oritur amicitia ad alterum ex amore erga ſeipſum: hinc illud Sapientis: Proximus egomet mihi, hinc & amicus alter ego.

Alter ego niſi ſis, nec eris mihi verus amicus:
Nî mihi ſis ut ego, non eris alter ego.

Atqui improbi ſeipſos non amant, quia non amant meliorem ſui partem, optima enim & prima pars hominis, eſt anima: non amant autem animam ſuam, qui ſceleribus perdunt & maculant. Ergo.

Et re vera: Qui amat aliquid, ab eo non diffidet, cum eo vivere amat, dolere, & gaudere: At improbus diffidet à ſeipſo, dum honeſta vult per rationem, & turpia facit per cupiditatem: ſeipſum fugit, exprobrantem conſcientiam fugiendo, non dolet neque gaudet cum ſeipſo, quin imo: exultante enim cupiditate

luget ratio, & contriſtatâ ratione gaudet cupiditas : Ergò improbus ſeipſum non amat, adeoque quia menſura amoris ad alterum eſt amor ad ſeipſum, inter improbos vera amicitia eſſe non poteſt.

Denique vera amicitia benevolentiam includit, inclinat ad benè volendum amico: hinc non eſt verè amicus, niſi qui bonum vult amico : At improbus non vult bonum alteri : vult enim quod ſibi placet, nec melius vult alteri quam ſibi : At non vult ſibi verum bonum, ſed tantum apparens & voluptatem: ſi enim vellet ſibi verum bonum, vellet ſibi virtutem & honeſtatem, fugeret quoque verum malum, nempe improbitatem : Ergo.

DUBIUM V.

An amicitia ſit tantum inter duos?

AMICITIA vel eſt in ſummo gradu & perfectiſſima, vel in medio gradu tantum, minuſque perfecta.

Reſpondeo 1. perfectiſſimam amicitiam duorum eſſe tantum: Perfectiſſima enim amicitia perfectiſſimam poſtulat inclinationem : eò ergo perfectior, quò major inclinatio & dilectio amati : Atqui perfectiſſima eſt inclinatio duorum, majorque quàm plurium : ubi enim inclinatio eſt ad plures, diviſa eſt ; ubi verò ad unum tantum, unita : At major eſt virtus unita quam diviſa : Ergo perfectiſſimus amicitiæ gradus eſt tantum inter duos. Hinc qui plures habet amicos, ſæpè nullos habet, & qui

pluribus ſe dicit amicum, rarò vel uni amicus eſt, certè nulli perfectiſſimus eſt amicus.

Reſpondeo 2. amicitiam ſatis perfectam reperiri poſſe inter paucos, non inter multos.

Pauci dicuntur à Philoſopho, tres, quatuor.
Multi, qui ultra. Hoc poſito,

Poteſt eſſe inter paucos, quia moraliter inter tres aut quatuor occurrere poteſt ſumma conſenſio morum & affectuum, poteſt quoque longa familiaritate eſſe probata: quin, ut vult Buridanus, hæc amicitia ſecundum quid perfectior eſt eì quæ eſt inter duos, quia continet omnem modum dilectionis: nempè dilectionem quæ amantis eſt, redilectionem quæ redamantis, & condilectionem quæ duorum eſt ad tertium. Certè hæc amicitia inter tres aut quatuor tutior eſt & diuturnior. Tutior: plus enim valet adverſus fortunæ caſus: vix enim unus amicus ſufficienter præbet opem in adverſis, & in dubiis conſilium; tres vero (ut aiunt) faciunt Capitulum. Securior, quia uno moriente non deficit alter, uno negotiis implicato, ejus vices adimplet alter.

Non poteſt eſſe inter multos: moraliter enim inter eos reperiri nequit morum affectuumque conſpiratio, quæ ad amicitiam requiritur: quàm enim diverſo & multiplici luto hominum finxit præcordia Titan.

Mille hominum ſpecies, nec voto vivitur uno.

Ut vultuum, ſic & affectuum varietas. Deinde ubi multi conſcii ſunt alicujus ſecreti, ibi non eſt ſecretum: quàm enim lubrica & volubilis hominum lingua! *Secretum ſi tribus eſt manifeſtatum, omnibus eſt divulgatum*, inquit S. Auguſtinus: At arcana debent eſſe amicorum conſilia.

Iuvenalis.

DUBIUM VI.

An ſenes ad amicitiam ſint idonei?

MINUS idoneos vulgò judicat Philoſophus : eò quòd ſenectutem plerumque conſequatur moroſitas & avaritia : eò quòd etiam rigidiores habebant mores, ſeveros, moleſtos, urbanique jucunditatis ſalis expertes : At amicus ſocietatem appetit cum amico, cujus præcipuum condimentum voluptas. 8. Eth. 1. & 5.

Non deſunt tamen ſenes optimè ad ineundam amicitiam comparati, quorum quidem imbecille corpus, ſed mens vegeta, ſapientiâ commendabilis, eruditione & experentiâ. Horum amicitia peroptanda eſt, ut quæ diuturnior & conſtantior, cum econtrà incertus & verſatilis plerumque ſit juvenilis animus.

DUBIUM VII.

An amicitia ſit beato viro neceſſaria?

AFFIRMAT Philoſophus : vita enim beata bonis affluere debet : At amicitia maximum eſt bonum : homo quoque natus eſt qui ſocietatem iniret : At ſine amicitia miſerrima ſocietas : ut quæ vel metum habeat comitem, vel diffidentiam : & re vera ut ſervandæ virtuti maximè officit malorum ſocietas & improborum, ſic & maximè conducit ſapientum & virtute præditorum : maximus

enim ad virtutem ſtimulus eſt ipſa virtus in aliis cognita: At nuſquam magis movet quam in amicis.

Ais. Beatiſſimus eſt Deus, nec tamen eget amicis.

Nego conſequentiam. Quia Deus ſibi ipſi ſufficientiſſimus eſt, non tamen homo.

Ais iterum, Quidam contemplationi plane affixi ſunt, & ab humana ſocietate ſejuncti: hos tamen Philoſophus in Politicis, hominibus vocat meliores.

Reſpondent vulgo cum Boethio hos Heroas vix à Philoſopho dici homines ob raram virtutis excellentiam: Ego putarim id dicere Philoſophum ob rariſſimam hominum probitatem, quòd paucos invenire ſit inter tot mortalium millia, qui virtuti ſincerè ſtudeant, cum quibus proinde iniri poſſit vera amicitia. Tunc autem meritò ſupra communem hominum ſortem evectus cenſebitur is, qui inſtigante ad ſocietatem naturâ, ut illibatam ſervet, ſanctioremque virtutem, communi Mortalium commercio ſeſe ſubduxerit.

DUBIUM VIII.

An magis requirantur amici in adverſâ quàm in proſperâ fortunâ?

RESPONDEO 1. *requiri in utrâque.* Requiruntur in proſpera: In proſpera enim congaudent & congratulantur: modum ponunt, & impediunt ſuperbiam: quibus enim fortuna favet, ij ſæpiùs quaſi Circes

poculo ſoporati dormiunt, & ſuperbiæ vento inflantur: unde amicorum fide & conſilio maximè tunc egent.

Requiruntur quoque in adverſa: condolent enim malis, ſicque triſtitiam quodammodo levant: & quaſi oneris atque mœroris partem ſumunt.

Reſpondeo 2. magis requiri in adverſa quam in proſperâ: quia longè difficilius eſt modum tenere in adverſis quàm in proſperis: Ergo tunc magis neceſſarii ſunt amici. Deinde tela prævisâ minus feriunt: At calamitates magis de repentè ingruunt, quàm maxima proſperitas. Fatendum tamen, amico in adverſis poſito, & calamitatibus conflictato, amici præſentiam, ſi dolorem ex una parte maximè levat, & jucunditatem affert, ex alterâ aliquam etiam afferre triſtitiam: quod enim amicus condoleat, bonum eſt quidem ſibi, ſed malum amico: At amicus non minus amat amicum, quam ſeipſum.

TRACTATUS ALTER:

DE MEDIIS AD FOELI-citatem privatam.

QUA ratione quis exteriorum bonorum ſufficientem parare poſſit ſibi copiam, partamque conſervare, commodius in Elementis Oeconomicis: privati enim & patris familias in hoc ſtudium & ſollicitudo, diſcrepat tantum penes magis & minus: Ergo.

CAPUT PRIMUM,

De procuranda mentis Tranquillitate.

MENS tum tranquilla dicitur, non cum feriatur prorſus & ab omni functione quieſcit: ſed cum altioribus ſuaviter intenta, tumultuoſis rerum humanarum æſtibus ſubducitur. Hæc eſt tranquillitas, ut omnibus, ſic & ei, qui privatam agit vitam, optabiliſſima, cuique procurandæ feliciùs atque ſervandæ nulla certior via, quàm ſi homo privatus & ſui, & ejus quam inivit vitæ rationis, nuſquam ſit immemor.

Ac quidem ubi nativæ conditionis ſuæ mentem ſubibit recordatio, tunc ſe etſi mortalem variiſque morbis ac calamitatibus obnoxium,

ad majora tamen natum deprehendet iis, quibus, cum hominum vulgo, vel familiæ, vel reipublicæ curis implicati, tam impenſe ſtudent, avideque inhiant. Tunc cum Bione apud Stobæum animo revolvens ærumnas, perſonamque induens eorum, quos negotiorum premit moles; Serm. 56.

Si nobis vivendi duo tempora dediſſet,
Sive Iuppiter ſeu parca verſuta, ita ut ageretur
Alterum cum lætitiâ & gaudio, alterum in labore,
Liceret poſt labores aliquando bonis frui,
Si vero Dii unum duntaxat tempus vivendi annuerunt
Hominibus, idque breve, & per quam anguſtum
Quam diu, vah! miſeri labores & opera inſumimus?

Tunc & cum Claudiano,

Fælix qui propriis ævum tranſegit in arvis
Ipſa domus puerum quem videt ipſa ſenem.

His ubi acceſſerit malorum, eorumque omnium in quibus verſantur qui familiarum, civitatumque commodis invigilare tenentur, diſcriminum cogitatio ob incertos, & ſæpius infauſtos exitus.

Οὐ ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ

Seu ob recti in omnibus ſervandi difficultatem

Ὁ πλεῖστα πράσσων πλεῖστ' ἁμαρτάνει βροτός.

Hom. Iliad. Σ. Iuppiter haud quicquid animo conceperis, illud perficit.

In multis errat qui multa aggreditur.

Tum Numini, cujus benigno afflatu pacatum, atque ab hiſce ſollicitudinibus & periculis immune vivendi genus elegerit, animo memori litans, iis omnibus negotiis eximet ſeſe, quæ ſtabiliendæ, firmandæve privatæ felicitati non conferant; Arſenii æmulus ſibimetipſi ſæpius objicientis ad quid veniſſet, de

præſtituto ſibi fine cogitabit; privatæ felicitati comparandæ ſtudes, quid alienis animum diſtorqueres rixis aut negotiis?

Sat ſcit, qui ſua ſcit feciſſe negotia cautus.

Primum argumentum bene compoſita mentis, eſt poſſe conſiſtere, & ſecum morari, ait Tullius. Et Satyricus:

Nil te quæſiveris extra.

Vt tibi cōſuleres, publicas ut curas, ſic & pecunias neglexiſti: quid ergo expeteres? ut ſummā felicitatem aſſequerere, inferiorem; ut immortalem gloriam, caducam ſpreviſti. Quid ergo aliis delati te torquerent honores, congeſtæ angerent pecuniæ, fama tamdiu durans, quamdiu mentitur te vexaret? Tibi & ad privatum bonum vivis: Ergo animum alienis non implicabis negotiis, publicis locum non dabis agitationibus, mentem divinis cognitionibus præſtantiſſimiſque totius naturæ imaginibus inſtrues & exornabis: humana ſpernes & caduca, divinis immortalibuſque intentus: voluntatem pravis & inordinatis, quibus vera, ſinceraque pax violatur, & adimitur, purgabis affectibus, ut virtuti amplam, liberamque ſedem facias, rerumque ſuperiorum & æternarum amori totam conſecres.

Tertull.

Sic procelloſum hujus mundi fugiens mare, à naufragio ſecurus, per immenſum, ut loquuntur SS. Patres, perfectionum velitabit Oceanum, divina contemplatus, imperfectius quidem in imagine & effigie per lumen rationis & philoſophicum; purius, certiuſque per lumen fidei in revelatis. Sic à vehementi perturbationum, quibus qui negotiis ſeu domeſticis, ſeu publicis ſuam collocant operam, objecti ſunt, commotione liber uni ve-

ritatis inveſtigationi, ac contemplationi, virtutis autem ſummique boni inquiſitioni incumbet.

CAPUT ALTERUM.

De contrahendâ fovendâque amicitiâ.

AMICUS *fidelis, protectio fortis,* inquit Sapiens, *qui invenit illum, invenit theſaurum:* ſcilicet ut verus amicus, in quo nihil ad perfectam amicitiam deſideres, nihil melius & optabilius. Sic & is: Eccleſiaſtiq 6.

Rara avis in terris, nigroque ſimillima Cygno. Iuvenal.

Ideo recte Seneca, *Omnia de amico delibera, ſed de illo prius: & imprudenter agit qui cum amarit judicet, poſt quam judicarit non amet,* ait Theophraſtus, hanc ob rem ut jucunda eſt maxime, & ad temperandas hujus vitæ amaritudines neceſſaria amicorum poſſeſſio, ſic & nemo, ſi modo ſapiet ſuique penitus non erit immemor, in amicorum delectu & conſervatione potiſſimum ſtudium non collocabit. Epiſt. 3

INEVNDÆ FELICITER amicitiæ, Canones.

QUA ratione prudenter ineas amicitiam, ex hujus præmiſſa ſuperiùs ideâ & conditionibus eruo.

Ac quidem nulla amicitia eſt ſine probitate. *Dignus amari,* (aiebat Antiſthenes apud Laertium) *qui bonus eſt.* Quin & hæc tantum habet pondus, ut etiam loquente Seneca, *inter bonos* Lib. 6.

viros, ac Deum amicitia ſit, conciliante virtute; imo & ſumma neceſſitudo. Ergo ubi de contrahendâ amicitiâ cum aliquo cogitaris; & à te omnem improbitatis ſuſpicionem amovebis, quamque caſtis ſit & integris moribus inquires, quem tibi amicum & familiarem volueris. Inter alia, quibus ejus probitatis, integritatiſque certior fieri poſſis, argumenta, hoc erit potiſſimum, ſi proborum placeat, improborum diſpliceat conſuetudo, nam ut ait Euripides.

Si quis malorum gaudet conſuetudine,
Nil amplius quæro; quod eſſe jam ſciam
Similem iis quibuſcum ſuaviter conjungitur.

Amici fide parantur, inquit Saluſtius, *& benevolentiâ*: Ergo inepti ad amicitiam quorum dubia fides, animus quoque agreſtis & ſordidus: peridonei è contra quorum in multis iiſque momentoſis probata fides & conſtantia, qui ſua ultro præſtant officia, quibus aliena propriis potiora videntur commoda, qui ad bene faciendum alacres, collatorum autem à ſe beneficiorum vix memores. *In confirmatâ amicitiâ & perfectâ fide, commemoratio beneficiorum ſupervacua eſt*, ait Tullius.

Vix integram ſervat fidem qui loquacior. Multa cogitare animoque verſare quæ taceas, Prov. 16. ſapientis eſt. *Homo verboſus ſeparat Principes*, inquit Sapiens. Nil ad iras, lites & jurgia, linguæ intemperantia potentius, quâ, haud ſcio an aliquod ſit certius aut debilioris aut peſſimi ingenii argumentum. *Vaſa inania multum tinniunt*, ait Alſtedius; atque ubi verborum flumen, ibi vix mentis gutta ſæpius, ajebat Theocritus, Vir loquax ſe ſuoſque prodit. Stob. ſerm. 36. *In multiloquio*, ait Sapiens, *non deerit peccatum*. Loquaci

quaci, atq; verboſo, ſecretos mentis ſuæ nemo receſſus, ſi modo ſibi bene vult, aperuerit: quid enim? ſervare debet fidem? ſigillo obturatum os ejus? at deerit officio, violabit & ſacramentum. *Nunquam tacet*, ait Gellius, *quem tenet morbus loquendi:* ſilentium jubeat lex naturalis, imperet divina: imo & ad propria commoda tacuiſſe maximè expediat. Tacebit, inquies facilioris vir fidei? ego ſupicor, ego dico, non tacebit: depoſitum tuto arcanum putas, quia cælare præceptum & tegere? Centurionem, mihi crede, fide ſuperas (eſto diſpari) ſcelus non arcet qui prohibet quin: &

Nitimur in vetitū ſemper, cupimuſq; negata

Ergo verboſo & loquaciori (quod à viris ut eruditione ſic & pietate ſpectatiſſimis, ſæpius ſumma cum voluptate accepimus) varios anteactæ caſus vitæ & diſcrimina, ſecretioreſque cordis receſſus nuſquam aperiet anima ſapiens, niſi jubente ſummo Duce, cujus, ſi in aliis pluribus, in hoc ſane nemo fruſtretur imperium, abſenteque tutiori depoſiti cuſtode è ſtatione mox diſſeſſura.

Ex quibus ſic concludo. Amicorum omnia ſunt communia, maxime vero conſilia. Ingrata fuerit, adeoque nulla amicitia, infenſa, quæ ſollicitudines parit, mentis angores & cruciatus, quos é contra debeat amovere: veræ amicitiæ deleterium fuerit ſuſpicio juſta: Atqui amicitia inita cum verboſo & loquaciori ſollicitudines parit, mentis angores & cruciatus: quem enim volueris eſſe tui amicum, huic animi tui receſſus aperueris, huic negotia tua conſiliaque detexeris, quæ aliis occulta ſic velis, ut ſi ſemel reſerata ſuſpexeris illico, metu, doloreque afficia-

re: ſi ſapis autem, ab eo prodita conſilia tua ſuſpicere, qui linguæ eſt incontinentis: Ergo cum verboſo & loquaciori nulla amicitia.

Ea jucundiſſima eſt amicitia, inquit Tullius, *quam ſimilitudo morum conjunxit & ſtudiorum*, quid ſi ſortis, addiderim ego, indolis & fortunarum? ſcilicet *Firmiſſima eſt*, ait Curtius, *inter pares amicitia*, quæ loquente S. Ambroſio, *neſcit ſuperbiam*. Ergo quàm licebit, eos tibi amicos adſcripſeris, qui ſtudiis, moribus, genere, fortuniſque tecum conſentiant. Plebeii ad magnatem obſequium eſt: Magnatis ad plebeium benevolentia, vix amicitia, quid ita? hęc imperii impatiens, impatiens & ſervilis obſequii: At imperioſa ſæpius Magnatum conditio, plebeiorum obſequioſa.

L. 7.
3. de Off.

Dulcis inexperto cultura potentis amici:
Expertus metuet.

Horat. lib. 1. epiſt.

Et ſuæ calamitatis ſenſu tactus, poëtarum genius.

3. de triſti.

Vſibus edocto ſi quicquam credis amico,
Vive tibi, & longè nomina magna fuge.

Studiorum ſimilitudo jucundiſſimam faciet, mutuiſque expetitam votis ſocietatem: ſemper placuit de gratis ſibi optatiſque colloqui; quin & ſtimulata propoſitæ ſibi communis felicitatis ſpe ingenia, mutuo per confabulationem quaſi attritu, lucidum excitant ignem, quo & ſecuriùs & majori cum voluptate ad expetitum finem contendant.

Etſi quotquot ſumus, ut notat Ariſtoteles, voluptatis ſimus amantiſſimi, μάλιστα ἡ φύσις φαίνεται τὸ μὲν λυπηρὸν φεύγειν, ἐφίεσθαι δὲ τοῦ ἡδέος: abſit tamen ut eas probemus amicitias quæ inter pocula contrahuntur: quem etiam invitaris, ſiculiſque dapibus exceperis, ideo ami-

8. Eth. 5.

cum ne puta; nempe

Diffugient cadis Horat. l. 1.
Cum face ſiccatis amici,
Ferre jugum pariter doloſi.

Quem tibi humanitatis ſenſum, amoriſque exhibebat liberiori Baccho uſus, amittet ubi in fumos evaneſcente ſubtiliori ejus ſpiritu proprium reſumpſerit.

Hunc, quem cœna tibi, quem menſa paravit amicum Martial. l. 9. epigr.
Eſſe putas fida pectus amicitiæ?
Aprum amat & mullos, & ſumen & oſtrea, non te,
Tam bene ſi cænem, noſter amicus eris.

Eſt amicus ſocius menſæ, ait Sapiens, *& non permanebit in die neceſſitatis. Errat,* inquit Seneca, *qui amicum in atrio quærit, & in convivio probat: in pectore enim amicus, non in atrio invenitur: & ſi amicum perdidiſti, alium quære, & ibi eum quæras ubi eum invenias; quære inter artes liberales, inter recta & honeſta officia, quære in laboribus, ad menſam iſta res non paratur.* Ep. 19.

Ergo ſi vis auſpicatam inire amicitiam, talis eſto qualem poſtulaveris, quem tibi volueris amicum.

Hic autem non quæratur inter epulas, ſed inter honeſta officia.

Hujus probatam habeas longo tempore probitatem, morum tecum ſimilitudinem, benevolentiam erga te, fidem atque conſtantiam.

Differ, habent parva commoda magna moræ. Tardè quidem pingebat Zeuxis: at lento etiam penicillo ad immortalitatem properabat. Vix quoque ſtabilis eſſe poteſt, prudenterque inita cum aliquo amicitia, cujus virtus, fideſque jullo temporis intervallo non fuerit explora-

ta; hujus fidei ſi non integrum, potiſſimum ſit taciturnitas argumentum; garruli, ſi modò ſapis, ſuſpectum tibi ſit ingenium, aut quòd leve ac debilius, aut quòd pravum atque malignum.

Hæc ubi in ipſo elucere deprehenderis, tutò ad amicitiam ejus te confer, ei cor tuum aperi: in partem conſiliorum tuorum bonorumque ſemper veniat, benevolentiæ ſpecimina exhibe ſingularis, ut & amoris: officiis ita cum ipſo certa, ut, ſi liceat, ipſum ſuperes. Certè ubi amicitiam tecum inierit, ſuperari ſe non patietur: ſed de hoc jam accuratius.

CANONES

RECTÈ FOVENDÆ AMICITIÆ.

BENE Poëta;

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Ego dico: Major eſt initam fovere, integramque ſervare amicitiam, quàm inire; ſcilicet nec interim omittenda ſunt, quibus contracta eſt, officia, atque nova inſuper exhibenda. Atque ut æterna debet eſſe amicitia, ſic &, quæ ſemel eam conglutinat, integra virtus & probitas: At quam lubrica eſt inſtabiliſque morum integritas! quam arduum & imperare ſibi, & aſſiduos externorum hoſtium incurſus declinare, & fruſtrari! Facilius fuerit ab omni ſcelere abſtinuiſſe brevi, quàm diuturniori tempore. Annuam ſervavit innocentiam & libertatem, qui pluribus annis, luſtris fortè,

perturbationibus & cupiditatibus ſerviit: Ergo prima potiſſimaque contractæ amicitiæ ratio, ſit virtutis firmandæ, conſervandæquæ ſtudium. Certe, ſi verè amas, amico ſinceram voluptatem, gaudium, delectationemque, quantum in te eſt, concilias: At ſi virtutem aſpernaris, ſi ſanctitatem morum, veramque animi tranquillitatem temnis, ſi te vitiorum volutas cœno, affectibus mancipatus, amicum ſummâ qui potes, afficis moleſtiâ; nec itaque tu amicus.

Imprimis igitur veram pietatem, ſanctitatemque cole. *Qui timet Deum,* ait Sapiens, *habet amicitiam bonam, quoniam ſecundum illum erit amicus.* Vnumquodque iiſdem conſervatur quibus primò genitum eſt, aiunt Medici: certe quæ formam in materiæ ſinum advocant qualitates, eædem fovent ac tuentur: hæ, ubi contrariis potentioribus ſuperantur, amicam etiam deſerit forma materiam: At amicitiam cognita peperit virtus, benevolentia, mutua conglutinarunt officia. Hoc ubi firmum fuerit conſilium atque ſtudium, tunc inter alia comparatum tibi amicum his officiis maximè tibi devotum ſervabis ac devincies. *Eccleſiaſt.*

Quod bonum tibi evenerit ac proſperum, fac ut amici potius ſit quam tuum: quod infauſtum ac inauſpicatum, quoad poteris, tuum ſit, amicum lateat. Quæ jucunda ſunt, blanda ac ſuavia, per univerſum corpus natura ſparſit, quæ ingrata & amara certis conceptaculis concluſit, ſic bona diffundi oportuit, noxia ſiſti, & conſtringi. Per omnes partes diducuntur venæ, diſſeminantur & arteriæ; per illas benignus ad ſingularum alimoniam defertur ſanguis, per has ad vitam, ſenſum atque

motum advocati diſcurrunt ſpiritus. At quam grata, optataque corpori anima, tam charus ſanguis, & pretioſus: hinc moriens apud Poëtam, *purpuream vomit ore animam, & vitam cum ſanguine fundit.* Spiritus quoque, ut omnium functionum, ſine quibus ſtare vita nequit, inſtrumenta: ſic & eam fovent incolumem, cujus & ab ingruentibus humoribus malignis in rigoribus & paroxiſmis arcem tutantur: Bilem e contra, quæ amaritudine ſua partes acrius roderet, & lancinaret, ſubjectâ hepati ne longius diſcurreret, cyſti concluſit, ut & liene melancholicum ſuccum recondidit. *Immortalis Dei providentia*, ait Fernelius, *partes ſordibus inquinatas ac fœdas, in locum imum velut in ſentinam corporis relegavit, proculque amandavit, ne tetris nidoribus cor & cerebrum, principum facultatum ſedes, atque*
L. 11. c. 6. *ſenſus ipſos contaminarent, aut conturbarent.*

Itaque ſi naturam ducem ſequi voles, ubi ingruent in te mala, ſiſtes ſi liceat & comprimes, bona jucundaque amico impertieris, atque ideo,

Amicum in proſperâ fortunâ ad te cito advocabis, ut felicitatis tuæ conſortem efficias. Turpe fuerit & probroſum, ſi quem amicum e-
1. de Legib. legeris, minus diligas quam teipſum: *Eſt in amicitiâ neceſſarium*, ait Tullius, *ut alter nihilo ſeſe pluſ-quam alterum diligat, quòd ſi tantillum interſit, jam amicitiæ nomen occiderit, cujus eſt ea vis, ut ſimul ac ſibi aliquid quam alteri maluerit, nulla ſit.*

In adverſâ fortun[illegible] quàm tardè poteris accerſes amicum: eò enim præſtantiorem exhibebis te amicum, quò meliùs amico voles: meliùs autem ve[illegible] ſi malum ab eo

amoveris. Amoveris ſane, ubi mœroris tui argumenta, ærumnas, calamitateſque occultaveris.

Advocaris autem, ubi quod ex ejus præſentiâ & operâ tibi polliceare commodum, atque levamen, ei quem & præſente malo in animo ejus excitaris doloris, triſtitiæque merito prætuleris. Nam & ex ejuſdem quam tibi poſt illuſtriſſimos omnes Scriptores, & inter alios, Tullium & Ambroſium, quoad licebit ducem ſemper voluerim, naturæ inſtituto, non ita cyſti ſua arcte conſtringitur flava bilis, quin & illa, ubi majori copiâ turgeſcit, onere ſe levet, quod abs ſe in inteſtina exigat, atque deponat, quibus ſtimulata craſſiorem, inutilemque aſſumpti alimenti portionem extrudant: ſic & amicum pungit quidem calamitas tua: at ex hocce ſubiti doloris morſu, ad propulſandum malum, tibique opportunam ferendam opem feliciter excitabitur.

In libris officiorum.

Amicum in difficilioribus non negliges nec frigidiùs, imo ſtudioſiùs majorique cum animi, amore æſtuantis, teſtificatione coles. Hunc & ſolaberis majoribuſque officiis tibi devincies. Ibi enim maxime elucere debet amicitia, ubi major amicorum indigentia, auſpicatiorque opera & opportunior: at ubi fauſtiorem operam amico præſtes, quam in difficilibus & ærumnoſis? *Omni tempore diligit, qui amicus eſt*, ait Sapiens, *& frater in anguſtiis comprobatur.*

Turpe erit in miſeris tibi rebus amico
Auxilium nullâ parte tuliſſe tuum.
Turpe referre pedem, nec paſſu ſtare tenaci,
Turpe laborantem deſeruiſſe ratem,
Turpe ſequi caſum & fortunæ cedere, amicum,

Fidem poſſide cũ amico in paupertate illius, ut in bonis illius læteris: in tempore tribulationis illius permane illi fidelis ut in hæreditate illius cohæres ſis. Eccl. 22.

Ovid. 2. de ponto.

Qui niſi ſit felix, eſſe negare ſuum.

Tunc ergo inſtigante ſincera amicitia heroicam mentem ſubibit

Signa aciemque movere
Dum trepida res & medicinam vulnera poſcunt.
Is locus officio cum ceſſant proſpera, cumque*
Dura ad opem fortuna vocat: nam læta fovere
Haud quaquam eſt animi decus.

Decius Capuanus apud Silium Italic. l. 11. belli punici.

** Agit de clade Cannenſi.*

Ad amicum felicem, & bene fortunatum citò non advolabis, niſi ut ipſi benefacias, quem prudentiâ & conſiliis juves: nam & cum in proſperis difficile ſit ſervare modum, illæſamque ſervare virtutem, ibi maxime amicorum opportuna conſilia. Sic ergo te geres, ut amico non videaris propriorum commodorum ſtudioſior, nec tam amicum ei præſtare officium, quam à bene fortunato quærere beneficium, φίλου ἐςὶ μᾶλλον τὸ εὖ ποιεῖν ἢ πάσχειν. Amici potius eſt beneficium conferre, quàm accipere, inquit Philoſophus: Hinc, ut bene concludit Picolhomineus, ſi in adverſâ fortunâ neceſſaria magis eſt amicitia, in proſperâ majus confert ornamentum. Quid ita? Nempe amici eſt bene velle & facere amico.

9. Eth. 9.

Gradu 7. §. 23.

Cum recenti amico, cujus ingenium ab ipſis incunabulis non noveris, ſic vive, ut ſervare tibi velis amicũ, timere poſſis inimicum.

Ideo quæcumque licebit in ipſum confer officia, quam poteris tibi ipſi ſufficiens: *Vt rara ſupellectile ita bonis amici utendum*, ait Eraſmus; quare ne arcana eis committe, niſi quæ ſervare non poſſis: tandiu autem ſervare poteris & debebis, quandiu & tua induſtria, & ipſius, aliorumque operâ, abſque credito ſecreto, votorum fieri poteris compos. *Sic in amicitiâ*, ait Valer. Maxim. *verſari debemus, tan-*

tamquam meminerimus eam ad graviſſimas injurias poſſe converti.

Si vitare velis acerba quædam
Et triſtes animi cavere morſus;
Nulli te facias nimis ſodalem,
Gaudebis magis & minus dolebis

Perditiſſimi eſt hominis amicitiam diſſolvere, ait Tullius. *PR Roſc.*

Cavendum ne non ſolum amicitiæ depo- « ſitæ, ſed inimicitiæ etiam ſuſceptæ videan- « tur: nihil enim eſt turpius quam cum eo bel- « lum gerere quicum familiariter vixeris. *Occaſiones*, inquit Sapiens, *quærit qui vult recedere ab amico, omni tempore erit exprobrabilis.* *Proverb. 18.* Nil autem ad frangendam amicitiam incontinentiâ linguæ potentius. Vis amicitiam ſervare? alacris eſto ad officium, temperantis linguæ, & ſecreti tenax: *Denudare amici myſteria, deſperatio eſt animæ infœlicis*, ait Sapiens. *Eccleſ. 27.*

Superbia venenum eſt amicitiæ, ſcilicet duo montes non junguntur, ait antiquus author: Defer amico, inquit S. Ambroſ. ut « *L. De offic.* æquali, nec te pudeat ſi prævenias amicum in « officio, quin & ſuaviter peccantem amicum « excipe. Amicus, inquit S. Aug. ſimilis eſt « medico: medicus non amat ægrotum ſi non « odit ægritudinem: ut ægrotum liberet fe- « brem perſequitur: nolite amare vitia amico- « rum qui amatis amicos veſtros. Ergo ami- « cus objurget amicum, non jactantiæ ſtudio, « ſed affectu charitatis, neque admonitio aſpe- « ra ſit, nec objurgatio contumelioſa. «

Amicum quem ſyncerum ſemper agnoveris, cujus probata tibi omni in occaſione probitas, fides, conſtantia, qui tecum ſemper vixerit,

ſecretiorum conſiliorum voluerit te participem, dilige, cole & venerare. Sic ama ut animæ ſit dimidium tuæ. Ipſi tecum omnia ſint communia. *Si aliquem amicum* (ſcilicet perfectum & exploratiſſimum) *exiſtimas*, ait Seneca, *cui non tantum credis quantum tibi, vehementer erras, nec ſatis noſti vim veræ amicitiæ.*

Idem cum ipſo ut noveris, ſic velis & nolis, ni ſui immemor prava velit, ſcilicet cum in amicitia, quæ honeſta non ſunt poſtulantur, religio & fides præponatur amicitiæ. Abſit ut ulla mentem inficiat, quæ amicitiæ deleterium eſt, ſuſpicio. Amicus omnis probus: at ut quiſque eſt vir bonus, ita difficillime alios improbos ſuſpicatur: ergo à fortiori nec amicos. Ideo nec poculum timuit Alexander, quod propinabat Philippus Medicus, nec de Xenocrate diffidit Plato.

Cicero ad Quint. frat.

Amico mœrenti condole, hilari congaude, „ omnia comitatis officia exhibe. Quantum „ eſt bonum, inquit iſdem Seneca, amicitia „ fidelis ubi præparata ſunt pectora in quæ tu„ to omne ſecretum deſcendat, quorum con„ ſcientiam minus timeas quam tuam, quorum „ ſermo ſollicitudinem leniat, ſententia conſi„ lium expediat, hilaritas triſtitiam diſſipet, „ conſpectus ipſe delectet. Obverſentur præſtantiſſimorum amicorum exempla: Achillis & Patrocli, Niſi & Euriali, Æneæ & Achatis, Theſei & Pyrithoi, & ut plures alios omittam, Pyladis & Oreſtis, quorum ſingularem neceſſitudinem perpendens Poëtarum genius;

3. De Ponto.

Ire jubet Pylades charum periturus Oreſtem;
Hic negat, inque vicē pugnat uterq; mori.
Extitit hoc unum, quod non conveniat illis,
Catera pax concors & ſine lite fuit.

Et alter Manil.

Nihil ex ſeſe met natura creavit
Pectore amicitia maius, nec rarius unquam.
Vnus erat Pylades, unus qui mallet Oreſtes
Ipſe mori, lis una fuit per ſacula mortis
Alter quod raperet fatum, non cederet alter
Optavitque reum ſponſor non poſſe reverti
Sponſorem, reus timuit ne ſolveret ipſum.

Horum ubi ſuavis vigebit memoria, ſic amicum diliges, coles & promerebere, ut nulla ex parte & tibi, & amico defuiſſe videare.

Amicum denique novum veteri ne antepone

Certe hercle quam veterrimus Plut. In Lalio.
Homini optimus eſt amicus.

Non debent, inquit, Tullius, amicitiarum ſicut aliarum rerum eſſe ſatietates: veterrima quæque ſuaviſſima eſſe debent. *Ne derelinquas*, inquit Sapiens, *amicum antiquum, novus enim non erit ſimilis illi: vinum novum, amicus novus: veteraſcet, & cum ſuavitate bibes illud. Amicitia tanto certior eſt*, inquit Caſſiodorus, *quanto vetuſtior.*

ELEMENTA

OECONOMICA.

EX viro probo fit bonus paterfamilias, & ex ſapiente patrefamilias prudens politicus: ergo Oeconomicæ inſtitutiones Politicis præmittendæ. In quibus eodem ordine ac modo incedemus, atque in Monaſticis: Felicitatem *primo*, deinde media proponemus: quæ vel nullam, vel levem patiuntur difficultatem, uno filo explicabimus: quæ controvertuntur ad calcem cujuſque tractatus ſigillatim, & diſtinctis quæſtiunculis expenſuri. Hoc antequam aggrediar circa ipſam Oeconomicam aliqua noto, nempe acceptionem, munus, & objectum.

OECONOMICA dicitur ἀπὸ τῆς οἴκυ, id eſt domus, & νόμυ, id eſt legis, quia Oeconomica leges tradit de regenda familia, ſeu domo. Finis ergo Oeconomicæ eſt directio familiæ & felicitas: objectum, familia.

FAMILIA eſt ſocietas & conjunctio plurium ad commune opus: nempe quemadmodum animalia ejuſdem ſpeciei ad eadem opera conſpirant: apes exempli gratia ad mellificationem, mutuam quoque appetunt conjunctionem ad propagationem prolis & conſervationem ſpeciei: ſic & homines quos maxime

ſociales fecit natura, ut diximus, mutuis votis ad idem bonum conſpirant, maxime autem in familiis parentes, liberi, & ſervi ad ſocietatis, & familiæ commodum.

At societas alia eſt generalis, alia ſpecialis.

Generalis, quâ omnes homines naturæ legibus, & communi rationis vinculo inter ſe ſunt conjuncti: quo fit ut viatores & peregrinantes, quantumvis ignoti, mutuo ſibi benevolentiam ad itineris levamen conciliare conentur.

Specialis dicitur qua certum quoddam hominum genus, certo etiam quodam neceſſitudinis vinculo inter ſe conjunctum eſt, ut ſocietas Monachorum certi Ordinis, ſub vinculo certarum Conſtitutionum, v. g. ſocietas clericorum regularium: hæc ſi divinum cultum reſpiciat, eſt Eccleſiaſtica, ut ſocietas Monachalis: ſi res temporales eſt ſæcularis, ut ſocietas mercatorum.

Familia autem eſt quidem ſocietas, ſed ſpecialis ſecundum naturam inſtituta, ad uſum quotidianum. Hæc coaleſcit ex liberis & ſervis οἰκεία τέλειος ex δούλων καὶ ἐλευθέρων, inquit Philoſophus: liberi ſunt qui ingenui atque his cõprehenduntur pater familias & mater, iiſque geniti: ſervi autem, famuli: hujus habitaculum domus eſt, inquit Iſid. ſicut urbs unius populi, *Lib. 4. c. 9.* ſicut orbis domicilium eſt generis humani.

Hinc bona familiæ domeſtica vocitantur, quod tamen non quidem ſic intelligendum, quod omnia familiæ ejuſdem membra, ſub eodem tecto, eoque certo, & immoto, habitare neceſſario debeant; nam & ſuas habebant familias Dromades pecorum per pinguia paſ- *Lib. 2. c.*

1. Polit. 2. cuaque rura ſequaces, ex Pomponio Melâ.
l. 3. id.24. Scytharum quoque

Plauſtra vagas rite trahunt domos.

l. 14. Fixo quoque lare caruerunt Saraceni ex Ammiano, apud quos ejuſdem familiæ membra divulſa ab invicem, longoque diſtantia ſpatio. Satis eſt quod ſint ὁμοσιπύοι, ut notat ex Charondâ Philoſophus.

Hoc ſocietatis domeſticæ genus indicat Philoſophus, ubi ſocietatem dividit in familiam, vicum ſeu viciniam, quæ multarum eſt familiarum ſocietas; & civitatem, quam dicit
1. Polit. 2. ibidem Philoſophus eſſe perfectam ſocietatem, omnium bonorum ſufficientiam complectentem, ad bene vivendum inſtitutam. Vicinia autem ut diximus reducitur ad civitatem: ergo proprie loquendo duplex ſpecies ſocietatis; nempe Oeconomica & Politica: de utrâque ſcripſit Philoſophus, ſcripſerunt & alii: ſed multis erroribus utramque implicitam pagana nobis ignorantia dedit, quos affulgens Chriſtianæ fidei lumen diſcutiet ac fugabit.

TRACTATUS PRIMUS.

De fœlicitate Oeconomicâ.

FOELICITATEM cujuſcumque vitæ ſtatus complet & abſolvit eorum, quæ ad hunc ſtatum peculiariter pertinent, bonorum abundantia. Ergo œconomicam fœlicitatem maxime faciet œconomicorum bonorum copia. Sed quænam ſunt?

RESPONDEO: præter membrorum familiæ ſanitatem communem, & exteriorum commodorum ſufficientem copiam, ſine quibus vel nulla, vel admodum imperfecta eſt in quovis vitæ ſtatu fœlicitas, quatuor potiſſimum deſiderantur, nempe.

MUTUUS amor conjugum,

FOECUNDITAS & procreatio liberorum,

EORUM fœlix indoles, & recta educatio,

SERVORUM amor & fidelitas. Probo de ſingulis.

PRIMO. Ad familiæ beatitatem requiritur mutuus amor conjugum: conjugium enim ex naturæ votis ab amore naſcitur, ad amoris incrementum. Naſcitur, inquam, ab amore & privato, & communi, & ſui ipſius, & civitatis.

Nascitur ex amore ſui ipſius: initur enim conjugium, ut ſit incontinentiæ remedium: at quis magis ſeipſum diligit, quam qui ab infenſiſſimis hoſtibus, eoque pejoribus quo magis domeſticis, qui ab inſanis ferocientis concupiſcentiæ motibus incolumem ſe præſtat & ſecurum? Initur ad vitæ ſolatium & mutuum utriuſque conjugis ſubſidium: at ad opem mutuam, ad quærendum ſolatium, maxime ſtimulat ſuiipſius amor: Initur demum ad liberorum procreationem qui ſeneſcenti, labentique ætati ſuccurrant & opitulentur, qui patrios & avitos in ſeipſis referant characteres, qui demnm avis, & proavis immortalitatem nova ſobole, & accepti ſanguinis transfuſione pariant: at quid magis diligimus, quam ſecurum in canitie præſidium, & in ipſa morte ipſoque funere ſuperſtites noſtrûm ipſorum nuſquamque perituros characteres? ſcilicet vita mortuorum poſita eſt in memoria viventium, paterque vivit in filio, ut artifex in opere: hinc ipſe Plato, quem rara ſapientia divinum fecit apud mortales, ſacra feciſſe dicitur naturæ, quod celebs vixiſſet, nec ſatis eſſe ad immortalem nominis ſui gloriam ratus eſt, quod eximios ſemperque victuros mentis cœleſti genio afflatæ in lucem emiſiſſet fœtus, quod tot & præſtantiſſima opera mandaſſet poſteritati, ſed ingemuiſſe fertur quod vivam ſuiipſius non relinqueret imaginem. Indè olim apud Romanos plurium jus fuit liberorum: & apud Lacedæmonios licitum erat die quodam feſto mulieribus, quæ liberos Reipublicæ genuiſſent, alias ſteriles, quaſque propagandæ prolis non tenuiſſet amor, colaphis cædere, ut ignominiæ metus gignendæ ſobolis

excitaret amorem & adaugeret. Hinc &

Nascitur conjugium ex amore communi, quem enim in legitimo connubio liberorum procreatione beat Deus, is non tantum familiæ, ſed & toti prodeſt civitati: quid dico civitati? imo & toti ſpeciei: prodeſt civitati & patriæ, quia ipſi ab hoſtium incurſu ſervandæ miniſtrat milites & defenſores; toti prodeſt ſpeciei, ut pote quæ in individuis caduca & mortalis, novorum individuorum partu & ſuccenturiatione evadit immortalis.

Providit ille maximus rerum parens
Cum tam rapaces cerneret fati minas, Seneca in Hyppolit.
Vt damna ſemper prole repararet novâ.
Excedat agedum rebus humanis Venus
Qua ſupplet ac reſtituit exhauſtum genus
Orbis jacebit ſquallido turpis ſitu.

Conjugium tandem ut ex amore naſcitur, ſic & eſt ad amoris incrementum: naſcitur enim amor & augetur ex ſimilitudine: at ſimilitudinem in affectibus, & moribus inducit torus conjugalis: augetur amor ex unione qua & conſummatur, at hanc juſtæ procurant nuptiæ, *erunt duo in carne una*, inquit Scriptura: oportebat ſcilicet ut quæ ad ſocietatem ineundam, ad ſolatium vitæ diviſa fuerat caro & natura, dum Eva formata eſt ex coſta Adami, *Hoc nunc os*, inquit, *ex oſſibus meis, virago dicetur quoniam ex viro extracta eſt:* oportebat ut caro ſic diviſa ob ſocietatem iterum rependente quod acceperat beneficium ſocietate reuniretur: ergo mutua conjugum flamma, mutuus amor ſummus eſt, nec enim eum tantum facit rectum rationis judicium, ſed & naturalis impetus, & Dei mandantis auctoritas. *Facit rectum rationis judicium,*

dictitat enim ratio & prudentia, ut totum te des ei, cui totum te ſpopondiſti: at conjux totus eſt, & totum ſe ſpopondit conjugi. Impellit quoque naturalis impetus; quia enim mulier ex viro extracta eſt, propendet in virum tanquam in originem, & viciſſim propendet vir in eam, ut in ſuiipſius particulam. Prima,
l. de bono conjugii c. 1. » inquit S. Aug. naturalis ſocietatis humanæ,
» quam ibi commendat, copula, vir & uxor
» eſt, quos nec ipſos ſingulos condidit Deus,
» & tamquam alienigenos conjunxit, ſed al-
» teram creavit ex altero, ſignans etiam vim
» conjunctionis in latere, unde & illa detrac-
» ta atque formata eſt.

Facit demum Dei mandantis, jubentiſque authoritas: nam per conjugium mutua fit corporum traditio; unde mutua reddendi
l. 1. de adulterin. conjugiis c. 2. » debiti alligatio. Uxor, inquit S. Aug. poſt
» Apoſtolum, amplius non habet poteſta-
» tem ſui corporis ſed vir, ſimiliter & vir non
» habet poteſtatem ſui corporis ſed mulier.
» Hoc quomodo verum erit, niſi quia no-
» lente conjuge non licet conjugi continere?
Idem habet *l. 1. de bono conjugali cap. 6.*

Ex quibus patet ſecunda conditio felicitatis œconomicæ, nempe fœcunditas & procreatio liberorum, cujus cauſa ſic inſtitutum eſt matrimonium, ut licet etiam in incontinentiæ remedium nuptiæ inductæ dicantur, venialis tamen culpa vocetur ab Auguſt. *ibid.* conjugum amplexus, quem explendæ concupiſcentiæ, non gignendæ prolis amor excitat: quandoquidem enim conjugium inſtituit natura, quod eſt fundamentum ſocietatis œconomicæ, inſtituit, inquam, ad vitæ præſidium & ſolatium, ad ſpeciei conſervatio-

nem & propagationem; ſane liberorum procreationem, ex quibus ſperari ſolum poſſit vitæ & ſenectutis ſolatium, ſperari quoque ſpeciei conſervatio, neceſſariam prorſus nemo non videat.

SED PARUM prodeſſet fœcunditas, liberorumque copia ſine recta indole & educatione: vix enim naturæ votis reſpondere poteſt ſoboles, quæ paternæ virtutis non ſit hæres, nec ad publicam nata felicitatem: at proles vel degener, vel à paternâ virtute deſciſcens, vel publico bono minime nata, naturæ votis prorſus eſt adverſa: natura enim in conjugio maxime intendit, ut parentibus ſimiles procreentur fœtus, paterni eluceant characteres; generans enim generando ſibimetipſi ſtudet & ſpeciei molitur æternitatem: hinc intendit producere hominem, en conſulit ſpeciei: intendit producere hominem talibus characteribus nempe propriis, tum exterioribus in vultu & facie, tum interioribus, & intus deliteſcentibus in indole, & inſitis à natura propenſionibus imbutum quaſi & ſignatum, en conſulit ſibi: ergo parum conferet ad felicitatem familiæ liberorum copia ſine felici indole & educatione.

HANC idolis felicitatem in ipſis animalibus rationis expertibus oſtendit natura: quid enim quæ requirit in fœtu Aquilino indolē paternam ad magna natam, non requiret à fortiori in homine, miraculorum miraculo, ad divinitatis poſſeſſionem nato? Inſtigante natura aquilæ ſuos fœtus radiis ſolaribus exponunt: objiciunt ardori & lumini, ut proprios à ſpuriis & adulterinis diſcernant: accipiunt in ſuos qui firmis ac minime conniventibus oculis

ſuſtinent Solem, trementes vero, nictanteſque ad aſpectum ſolis excutiunt.

Claudian. *Non licet imbelles aquilis producere fœtus,*
Ante fidem Solis iudiciumque poli.

Ergo etiam nec natura acceptum habebit fœtum, acceptam prolem, vel pravæ indolis & degenerem, vel prave inſtructam. Infelix quoque familia miſerâ hacce lue atque contagione membrorum infecta: infelix pater familius. Hinc multum refert, inquit ſapienter Juvenalis

——————— *quibus hunc tu*
Moribus inſtituas: ſerpente Ciconia pullos
Nutrit & inventa per devia rura lacerta;
Illi eadem ſumptis quærunt animalia pennis.

Sed de modo inſtruendi liberos infra

Ad cumulatam denique familiæ felicitatem requiritur ſervorum ardor in bonum commune familiæ, & fidelitas: in familia enim, ut 1. Polit. 4. ratiocinatur Philoſophus, opus eſt fidelibus ſervis ſicut in artibus, quæ occupantur in materiâ externâ, opus eſt inſtrumentis: in his ſcilicet, v.g. in arte nauticâ duplex occurrit inſtrumentorum genus; Primum eſt inanimatorum, ut malus, remi, funes, vela, anchoræ, &c. ſecundum animatorum, ut nautæ & remiges. In œconomicâ quoque duplex eſſe debet inſtrumentum; Primum inanimatum, ut vaſa, ſcopæ, lebetes: alterum animatum, ſcilicet ſervi & ancillæ. Hinc

Definitur *ſervus inſtrumentum domini activum, animatum, ſeparatum, & rationale.*

Eſt inſtrumentum Domini, quia agit nomine Domini.

Eſt activum, ſervus enim eſt ad agendum, in quo diſtinguitur ab inſtrumentis mere paſſivis, ut cubili.

Est animatum, præficitur enim ſervus movendis inanimatis, v. g. ſcopis: ſi enim inſtrumenta inanimata per ſe agere poſſent, & moveri, vt narrant de Dædali ſtatuis, inutiles forent ſervi.

Est ſeparatum, in quo differt à conjuncto, ut manu.

Est rationale, in quo differt ab inſtrumentis activis animatis, & ſeparatis, ſed non rationalibus, ut equis & bobus; his enim quia ad opera domeſtica utimur, inſtrumenti nomen tribuere poſſumus.

Ex quibus liquet ad familiæ fœlicitatem, & bonum, ſervorum maxime conducere fidelitatem & ardorem: ad cujuſvis enim operis finem & perfectionem maxime confert inſtrumenta habere idonea, & quæ cauſæ principi moventi in omnibus obſequantur: atqui ſunt inſtrumenta dominorum ad felicitatem, & familiæ bonum procurandum: ergo maxime conducit eorum zelus & fidelitas; quæ autem & quo jure ſit inter homines ſervitus, infra agitabimus.

TRACTATUS ALTER.

DE MEDIIS AD FOELICItatem Oeconomicam.

QUEMADMODUM ex diſpari fidium ſono egregia naſcitur harmonia, ſic & ex mutuis, quamvis diverſis membrorum familiæ officiis œconomica fœlicitas. Ergo de his veluti mediis ad domeſticam beatitatem agendum.

Hęc autem triplicis ſunt generis, nempe.

CONJUGUM,

PARENTUM *& liberorum,*

DOMINORUM *& ſervorum.*

OFFICIA CONJUGUM.

MUNERA conjugum, vel ſunt ad invicem, de quibus jam, vel ad totam familiam, de quibus poſteà.

AD invicem ſunt maximus amor & reciprocus, quo in omnibus quoad licebit ſibi mutuo placere ſtudeant; ſi enim amico ubicumque ſe offert occaſio, amoris tui præbeas argumenta,

quâ ratione erga conjugem te geſſeris? Certe amore conjugali ut ſanctius nihil, ſic & nil potentius. Ideo apud Martial.

Conjugis audiſſet cum fatum Porcia Bruti, l.1.Ep.4.
Et ſubſtracta ſibi quæreret arma dolor.
Nondum ſcitis, ait, mortem non poſſe negari,
Credideram ſatis hoc vos docuiſſe patrem.

Et Indicarum apud Properium. l.3.eleg.

Vbi mortifero jacta eſt fax ultima lecto,
Vxorum fuſis ſtat pia turba comis,
Et certamen habent lethi, quæ viva ſequatur
Coniugium, pudor eſt non licuiſſe mori.
Ardent victrices & flamma pectora præbent,
Imponuntque ſuis ora peruſta viris. De hoc Valer. Max.

Hunc autem maxime faciet inviolata fides conjugalis, mulieris viro ſubjectio, & ſuavis viri in uxorem dominatus. Hæc dictitat natura & divina mandat authoritas. l.4. cap.6

Dictitat natura

Primo; Inviolatam fidem utriuſque conjugis, jubet enim natura ut cui te totum tradidiſti, cui fidem obſtrinxiſti tuam, totum te, integramque ſerves fidem. Tunc felix erit conjugium, tranquilla vita & jucunda, ut enim canit Horat

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula,
Nec malis divulſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

Copulantur, inquit Ariſtoteles, naturâ id quod imperat, & quod imperio paret propter ſalutem.

Hanc autem tranquillitatem ex inviolatâ

ſide emergentem fovebit ſinceri amoris & integri, indiviſique cordis & affectus ubique manifeſtatio: fovebit & miſerabilis zelotypiæ & angentis carentia, quæ, ſi Heliodoro credimus, innatus eſt mulieribus morbus; levioris enim eſt animi ſine gravi cauſa iis diffidere quibuſcum arctiſſimam amicitiam inieris: at quæ major amicitia conjugali? nec licet interpretari male quæ manifeſte mala non ſunt, alioqui alterius violatur honos. At zelotypia fere ſemper ex pravâ interpretatione oritur. Denique ad minuendam amicitiam, nihil magis confert quam diffidentia, qui enim non ſidit alteri, is eum ſibi non putat amicum, adeoque nec ipſius eſſe geſtit amicus. Hinc amicitiæ diſſolutio; hinc furiæ conjugales & domeſtica tormenta: ergo ut monet Ovidius.

l. 3.

3. de art.

Nec cito credideris, quantum cito credere lædat,

Exemplum nobis non leve PROCRIS *erit.*

l. 8. Apoph. Hinc referente Eraſmo Alphonſus Rex Aragonum ita demum matrimonium tranquille citraque querimonias exigi poſſe aiebat, ſi maritus ſurdus fiat, uxor cæca.

l. 8. SECUNDO dictitat natura mulieris viro ſubjectionem, nam ut ait Homerus, jura uxoribus quiſque dat & Natis. Et Martial.

Inferior Matrona ſuo ſit Priſce Marito,

Non aliter fiunt fœmina virque pares.

ET vero cur natura fœminam & corpore & ingenio debiliorem finxit, virum utroque valentiorem?

---- ſum tibi viribus impar,

Ep. 18. ait Hero ad Leandrum.

Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.

Vi

Vt corpus teneris ſic mens infirma puellis:

Sane ut imperaret vir, obtemperaret fœmina, ut notat Philoſophus: ergo viri eſt dirigere uxorem, quia ingenioſior factus & prudentior. Hinc non raro petulantia & negligentia uxorum ex maritorum vel incuria vel imperitia, aut ignaviâ naſcuntur, ut notat Xenophon. Ipſius eſt quoque animadvertere in ipſam ubi deficit ab imperio, animadvertere rationibus & verbis, admonitionibus, increpationibus: verberibus aut raro, aut numquam. Malam ſcilicet uxorem riſu potius quam verbere emendabis, ait aliquis: quin & Catoni Cenſori ſacrilegium reputanti apud Plutarchum mulierem durius tractare;

Offendit cælum, ſanctûque is ſolvit amorem:
Vxorem ſæua qui ferit uſque manu.

Agreſtior ergo cui

Nux, Aſinus, mulier, ſimili ſunt lege ligata
Hæc tria nil recte faciunt ſi verbera ceſſent.

Tertio demum ſuavem viri in fœminas habere debent dominatum: Jampridem enim inhumana deſiit poteſtas illa virorum in uxores vitæ & necis quam habebant Romani, imo & viguiſſe apud Gallos veteres refert Cæſar, *l.6.Belli Gallici.* qua licebat uxorem morti addicere, quam aut in adulterio deprehendiſſent, aut epoti vini, ſuppoſitive partus criminis ream agnoviſſent: Nec enim vir conjugem habere debet in ancillam, quam Deus fecit in adjutorium ſimile ſibi, ut loquitur Scriptura: hinc facta eſt mulier ex coſta viri, ut meminiſſet adjutricem ſe operis quamvis in agendo ſubditam viro, ſicut in ſuo ortu ab eo pependerat. Unde & ipſe Philoſophus optime diſtinguit inter *1.Polit. 2.* mulierem & ancillam, quamvis utraque viro

ſubjiciatur : uxor ſcilicet ex naturæ conſilio generationi prolis & educationi dicata eſt, ancilla vero vilioribus officiis: ergo ſicut virum, ut notat alibi iſdem Philoſophus robuſtiorem fecit natura, qui laborioſis muneribus & acquirendis ad familiæ conſervationem opibus, & ſplendorem incumberet; mulierem verò debiliorem, & meticuloſiorem, quæ domi manens, & parvulorum educationi, & domeſticis impenſis, acquiſitarumque mariti laboribus, & induſtria opum conſervationi ſtuderet: ſic & vxorem in familia fœtus generationi & educationi; ancillam autem abjectioribus officiis deſtinavit.

Divina quoque mandat authoritas: ut enim divina paſſim ſileam per Scripturas diffuſa de recti conjugii legibus documenta, de mutuo amore; audiamus Apoſtolum. *Mulieres*, inquit, *viris ſuis ſint ſubditæ, ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe Salvator corporis eius. Sed ſicut Eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis, in omnibus. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata; ita & viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Qui uxorem ſuam diligit ſeipſum diligit: nemo enim unquam ſuam carnem odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam, quia membra corporis eius ſumus, de carne eius & de oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & ad-*

Epheſ. 1. Merito fœmina viro ſubjicitur: nam æqualitas honoris pugnam parit. *Chryſoſt. in* 1. *ad Cor.* 11. Secunda poteſtas eſt mulier: neque ergo ipſa æquum ſibi jus vindicet, ſub capite enim eſt: nec eam quod ſubdita ſibi eſt contemnat maritus, corpus enim eſt. *Idem in c.* 4. *ad Epheſ.* Hinc in-

hærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.

juria vxoris & ipſi marito facta cenſetur. *Bald. in leg. 1. cod. de in jus vocando & Ovid.* Non turpe Marito, Aſpera pro charo bella tuliſſe toro.

HANC ob rem viri debent vxoribus, ut potè adjutricibus laborum, ſociis & gaudiorum, aptum, ſuæque ſorti conſentaneum ornatum permittere, qui tamen in luxum non degenerer: quippè, ut ait Juvenalis.

Juvenal.

Nil non permittit mulier, ſibi turpe putat nil
Cum virides gemmas collo circũdedit, & cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.

Unde Plautus

In pœnulo.

Multa ſunt mulierum vitia,
Sed hoc è multis unum eſt maximum,
Cum ſibi nimis placent,
Nimiſque operam dant ut placeant viris.

Quare iſdem Comicus lepidè ibidem.

Ibid.

Negotii ſibi qui volet vim parare,
Navem & mulierem hæc duo comparato:
Nam nullæ magis res plus negotii habent.
Eas ſi forte acceperis exornare,
Nec unquam ſatis hæ duæ res ornantur,
Neque ornandi ſatis ſatietas eſt.

HANC ob rem lata olim lex Voconia, ad coërcendos muliebres ornatus, qui in luxum degenerabant. Et Pythagoras non aliâ ratione reſtaurandam Crotoniatum rempublicam, pene dirutam, olim judicavit, quam ſi fœminæ auratas veſtes, cæteraque ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ deponerent, Junonique conſecrarent, præ ſe vera ferentes ornamenta mulierum, pudicitiam & pudorem.

NON patiatur quoque in iis purpuriſſam alioſque fucos, *Mulier* enim *recte*, inquit Plautus, *olet ubi nihil olet*, & ait S. Hieronymus, *oculos Chriſtianorum eiuſmodi fuci non parum lædunt.*

Mulieres, quia levioris ingenii, iræ maximè obnoxiæ factæ ſunt, aliunde viri adjutrices non ancillæ, ideò in aliquibus non ſunt recuſandæ conſiliatrices, ſunt iis quoque aperienda quæ non ſunt maximi momenti, nihil enim ad augendum, firmandamque earum amorem potentius, ut quæ ſunt animal curioſum: celanda tamen ſunt, & ſummo ſtudio tegenda, quæ majoris ſunt momenti, ut quorum linguâ nihil ſit volubilius, & omnium ſint animal loquaciſſimum.

Atqui hæc generalia ſunt conjugum ad invicem officia, quæ, ut res clarior fiat, ſummatim ad certa capita redigo.

Conjuges mutuam ſervent fidem, illibatam atque integram; ſincerum quoque, ac ſummum ut fovebunt amorem, ſic & ejus mutuò ſibi certatim dabunt ſpecimina: ſcilicet nihil ad amorem excitandum amoris teſtificatione potentius. Hoc ſi quod aliud ineluctabile philtrum,

Mart. l. 6. *Ut præſtem Pyladem, aliquis mihi præſtet Oreſtem,*
Hoc non fit verbis, Marce, ut ameris, ama.

Fœmineæ indolis, & ad iram jurgiaque pronioris, ut & levitatis ac imbecillitatis memor maritus, erga uxorem comis eſto, atque placidus; quam ſi quandò arguit, ſic ſe gerat ut unico amoris ſenſu tactus, non irâ percitus eſſe videatur. Si quando, certe extremo tantum in morbo, manus & verbera ſint remedium. Nam & ſuam habet Jupiter (apud Homer.) Junonem rixantem, & tumultuantem. Hanc corripit verbis, lenit obſequiis, ac demulcet; à verberibus abſtinet: *Extrema*, inquit Chryſoſt. *ignominia eſt, uxorem verberare*

Iliad.

Homil. 28. ad Cor. ſ. 8.

(ſcilicet cum temeritate & crudelitate) & Plutarchus in Catone Cenſorio: Uxorem verberans, quaſi in ſanctiſſima Deorum ſimulachra manus inferens à magiſtratibus coërcendus.

Certe *qui ſuam uxorem diligit*, inquit Apoſtolus, *ſeipſum diligit: nemo uſquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam.* Quanta Chriſti in Eccleſiam, ſeu in Chriſtianos benignitas, qui omnibus bonus, & beneficus, ſceleratiſſimos quoſque, ante inflictas pœnas, ad ſe pellicere nititur: at duo conjuges, ſunt duo in carne una: hinc Stephanus Papa V. ad Haſtulphum, qui violentas, immanioreſque in uxorem intulerat manus. *Filius non debes dici, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetraſti, nam occidiſti uxorem tuam, partem corporis tui*, &c. *Epheſ. 5.* *Decret. 2 p. cauſa 3. q. 2. C. admonere.*

Quamobrem ut unionem aceto, ſic & conjugalem amorem aſperiori agendi ratione diſſolveris: truculenta, caperataque non deceat conjugem facies, qui, ad deficientis naturæ reſtaurationem, vividiores ſpiritus ſuos conſecrare debeat. Atqui & hos excitat maximè ſuavis in mente compoſitâ hilaritas. Contumelioſus ſis, ingratuſque in optimam parentem, ſi, quos natura caſti amoris feracibus deliciis auſpicatè dicavit ſpiritus, hos vel inani mœrore offocaris, vel commota in jurgiis quereliſve bile diſſipaveris. Ut in fidibus, inquit Lipſius, concentu nihil ſuavius, offendimur diſſenſu: ſic in conjugio; quod animorum conjunctio potius eſt quam corporum, ſuavis affectuum temperies, & quaſi harmonia delectat; neque ipſos tantum, ſed *Ep. ad Belgas cent. 3. Ep. 40.*

amicos, imò & alienos.

Hanc felicem concordiam nunquam ſervabunt conjuges, ni ab invicem patiantur multa, multa diſſimulent: fallitur enim, inquit iſdem Lipſius, qui in primo iſto contubernio, omnia ad votum, animumque facta expectat, aut exigit; aſpera, aut certe acerba intervenient, ut ſunt concitati nimis, turbidioreſque ſæpius affectus humani: at uvam acerbam non ſtatim projicias, expectes

Horat.

Dum tibi lividos
Diſtinguat autumnus racemos,
Purpureo varius colore.

Vir, ajebat Cleobulus apud Laërtium, nuſquam debet, ſeu uxori blandiri, ſeu cum eâ coràm extraneis altercari: atque ut illud ſui minimè compotis, ſic & hoc inſanæ animæ argumentum γυναικὶ μὴ φιλοφρονεῖσθαι μηδὲ μάχεσθαι ἀλλοτρίων παρόντων: τὸ μὲν γὰρ ἀνοίας, τὸ δὲ μανίας σημαίνει. *Vitium ergo uxoris*, ut ex

Noct. attic. l.1.c.17.

Varrone laudat Gellius, *aut tollendum* (ſcilicet & privatâ & commodâ, nec aſperiori animadverſione) *aut ferendum eſt: qui tollit vitium, uxorem commodiorem præſtat, qui fert, ſeſe meliorem facit.* Sic, referente eodem Gellio, *Socrates* olim jurgioſæ moroſioriſque Xantipes conſuetudine, cæterorum foris petulantiæ, injuriiſque æquiori animo ac pacatiori, perferendis aſſueverat.

Ibid.

Absit tamen, ut in familia vigeat γυναικοκρατία, virque, qui ad imperandum factus, turpiter mulieri mancipetur.

Lege ſub uxoris pudor eſt vixiſſe maritum,
Ut ferat imperium fœmina nata viri eſt.

Omnium malorum in conjugio ut radix, ſic & ſummum, zelotypia. Hæc in mentem be-

ne compoſitam minime cadat: vix ſuſpecta fuerit conjugi fides conjugis, ubi ipſe ſervat integram.

Multa miſer timeo, quia feci multa protervè, 1. Amor. Eleg. 4.
Exemplique metu torqueor ipſe mei.

Et Poëta Mantuanus.

En qua quiſque facit, fieri ſibi furta veretur.

Quin & ut morbos nonnullos præconceptus accerſit metus, ita & violata nonnunquàm quæ prius integra ſervata fides, ex inani ſuſpicione.

Sic

Multi ad fatum venere ſuum, dum fata timent. Seneca in Oedipo.

Sic

Multos in ſumma pericula miſit, Lucan.
Venturi timor ipſe mali.

Quid enim, ut caſtitatem conjugalem divina lex imperat, certè maximum ad ejus conſervationem ſyncerus tamq; vehemens, quàm eſſe poteſt, utriuſque conjugis in invicem amor pondus habet. At quî eum maximè ames, in quo ſuſpicioſa, iniquaque de te judicia deprehenderis? amor amore rependitur, nec amari te credideris ab eo, cui dubiam eſſe probitatem tuam, fidemque compereris. Hinc & zelotypiâ labefactatur amor: hic imminutus, languidiorque factus, alteri locum cedit.

Certe vel uxorem nactus es impudicam, vel honeſtam; ſi hanc, quid te vexas? ſi illam; Argum licet cuſtodem ponas, robuſtæ licet fores & vigilum canum excubiæ muniant, adventabit Mercurius: qui

Detineat ſermone diem, junctiſque canendo Ovid. Met. 1.

Vincere arundinibus ſervantia lumina tentet.

Hic ubi viderit,

Succubuiſſe oculos, adopertaque lumina ſomno,
Supprimat extemplo vocem, firmetque ſoporem,
Languida permulcens medicatâ lumina virgâ.

Tum quem metuebas, anxietatem tuam irridens.

Arge jaces, quodque in tot lumina lumen habebas,
Extinctum eſt, centumque oculos nox occupat una.

Quid ergo tentes nimis anxius?

Omnia vincit amor, quid enim non vinceret ille?
Ovid ep. 5. Heroid. *Regnat, & in ſuperos ius habet ille Deos.*

Ut in ſollicitudinis partem, ſic & bonorum veniat uxor: ne probroſè tibi, quærere foris adigatur, quod negaveris, quam ſæpe enim quod alioqui imperium

Horat. lib. 3. Od. 16. *Tutum iter & patens*
Converſo in pretium Deo.

Ut caſtus, ſic & temperatus prudentiâ ſit amor conjugalis. *Adulter eſt in uxorem ſuam*, ajebat Xiſtus Pythagoricus, *amator ardentior.* Quem in ipſo conjugio verecundiorem experiare, eum eſſe qui conjugalem torum maculare audeat, haud credideris: hinc ex certâ fide ſummus amor: ex hoc mutua benevolentia, mutua quaſi συγκατάβασις, quâ conjugis defectuum conjux ſit patientior. *Bonum conjugii,* inquit S. Auguſt. *non eſt fervor concupiſcentiæ, ſed quidam licitus & honeſtus illo fervore utendi*

l. 1. de pecc. merit. & remiſſ. c. 29.

di modus, propagandæ prolis, non explendæ libidini accommodatus.

UTRIQUE conjugi communia ſint conſilia levioris momenti: quæ graviora, uxori vir nè credat, niſi exploratiſſimæ prudentiæ: at quàm rara in mulieribus prudentia!

UXOR maritum colat & veneretur, cui & obtemperet ab omni moroſitate aliena. *Caſta ad virum Matrona parendo imperat*, inquit Publius Mimus: ſic Livia Auguſti uxor conjugem viciſſe ſe, ſibique ſubdidiſſe ajebat modeſtiâ, diſſimulatione, & facilitate ſuâ atque comitate. Cur antiqui Mercurium cum Venere in eodem templo ſoliti dedicare? Certe quia ſermonis ſuavitas, blanditiaque amoris conciliatrix. Hinc Solon novæ nuptæ præcepit, ut non niſi guſtato Cydonio malo, ſponſo accumberet: Non tam levem, inquit Lipſius, brevemque illam oris fragrantiam ſpectans, quàm hanc aſſiduam blandi, aut ſuavi loquentiam, quâ maritum caperet & teneret. *I. Lipſius Ep. 40. Cent. 3. ad Belgas.*

UTRIQUE conjugi acceptiſſimi ſint alterius conjugis affines, & conſanguinei: ſic enim firmius ſtabit familia & à fortunæ inſtabilis inſultibus ſecurior, ubi hacce mutui amoris, cultuſque teſtificatione, motus quiſque in gentilitium ſplendorem vehementius conſpirabit.

IN fœminâ ſilentium & prudentia pulcherrimum, ea non placuerit conjux quæ domi pertæſa vicos luſtret; etiam ſi te diuturnior angat abſentia mariti,

Domum claude; neque in vias, *Horat. l. 3 Od. 7.*
Sub cantu querulæ deſpice tibia,
Et te ſæpe vocanti
Duram, difficilis mane.

Hinc Venerem Phydias teſtudinem pedibus prementem effinxit, ad quod alludens Poëta:

Alma Venus quænam hæc facies? quid denotat iſta
Teſtudo, molli quam pede Diva premis?

Reſpondens Venus.

Me ſic effinxit Phydias, ſexumque referri
Fœmineum noſtra juſſit ab effigie.
Quodque manere domi, & tacitas decet eſſe puellas,
Suppoſuit pedibus talia ſigna meis.

Data eſt uxor homini in adjutorium & levamen, quæ ad bonum familiæ marito allaboraret: ergo curas mariti altioribus, aſperioribuſque negotiis intenti; morum ſuavi comitate deliniet, prompta ad omne officium, & erga conjugis amicos imprimis obſequioſa, Sic enim conjugi placebit maximè, cui nil amicis antiquius: ſic & non parum commodis familiæ ſtudebit, quæ ſæpius non parum ex acerbâ moroſitate uxorum capiunt detrimenti; ut enim crumenæ maximè parcit, qui amicum domi excipit; naſcitur, derivaturque, neſcio quis è pectore amicorum, in liberos amici, aliaque membra familiæ, ex facili hacce jucundâque conſuetudine, amoris ſenſus; quo affecti, ſi forte ſors acerbior præmaturam Patrisfamilias mortem intenderit, eorum commoda tueantur deinceps ſtudioſius, ac promoveant,

OFFICIA PARENTUM ET LIBERORUM.

UT in parentes, etiam fato functos, gratus eſſe debet, memorque liberorum animus, æternumque pietatis ſenſum fovet, & excitat acceptorum ab optimis parentibus, cum vitâ, beneficiorum recordatio; quò fit, ut filius, ſi modo bene affectus ſit, quibuſcumque poteſt officiis paternam, ubi patrem ampliùs non poteſt, proſequi memoriam teneatur: ſic & parentum ſtudium erga liberos, non modo natos, atque genitos, ſed & generandos, maxime debet enitere. Ergo parentum duplex officium.

Primum erga nondum conceptos, nedum natos: alterum erga genitos & vitæ uſuram habentes: Illud ut iis bonam, longævamque vitam tribuant: hoc ut datam tueantur, & proſperent. Datam ſervabit idonea corporis; animi proſperabit alimonia. Ad hæc ubi acceſſerit fortunarum cura, & rei familiaris, nil amplius optandum. Quatuor itaque ſollicitudo parentum continetur

Auſpicatâ generatione prolis,
Aptâ genita educatione,
Idoneâ adoleſcentis inſtitutione,
Rei familiaris cura.

Ex iis quæ ad duo priora attinent quæ præcipua erunt, momentoſaque maximè, ex Phyſicis, ſeu Medicis; quæ ad duo alia, ex Ethicis fontibus hauriemus, quibus liberorum ergà optimos parentes grata officia ſubnectemus.

DE AUSPICATA SOBOLIS PROCREATIONE.

Ut ſummum cunctis tuendæ, producendæque vitæ amorem natura ingenuerit, ut tetricam mortis omnia viventia horreant imaginem; vix tamen illecebroſus fuerit uſus vitæ, qui cum perennibus ærumnis, ac doloribus fuerit conjunctus. Amant quidem ſingula animata vitam, ſed felicem ac quietam: hinc noxia, quibus à ſuis functionibus, aut ritè, aut prorsùs obeundis avocatur unumquodque abigere inſtigante naturâ omni niſu molitur. Hinc perennis ejuſdem naturæ cum malignis humoribus morbos committentibus lucta, in quâ, ſi non vincit ſed vincitur; impatiens ejus, quod tam arctè complectebatur corporis, anima aufugit beatiorem extra corpus, quod aliqui maximè deperit, vitam quia actuoſiorem, & ab hoſtium tumultuoſis im-

petibus tutiorem victura: hoc proſpero vitæ felicis, quam in corpore vegeto & ſano præſtantiſſimarum, ſeu corporis, ſeu mentis ac voluntatis actionum, integritas facit, uſu jucundius nihil, nihil optabilius; quo privari vix quicquam foret pejus ac acerbius, ni ita volentibus fatis, ineluctabili neceſſitate vita iſthæc in meliorem commutaretur. Hujus tamen ne dùm ſpes, aut expectatio, ſed & ipſa poſſeſſio præſentis vitæ amorem penitùs non extinguit: oblatum vitæ immortalis munus ſic excipit homo, ut mortalis uſuram retinere velit, & quia,

> *Immenſa eſt, finemque potentia cœli*
> *Non habet, & quicquid Superi voluere, peractum eſt:* *Ovid. 8. Met.*

Quia, quam accepit cœleſti ſemine ſatam, cœlo opifici reddere animam, indeclinabili neceſſitate adigitur; arte quaſi pugnat in cœlum, cum viribus non poteſt: induſtriam opponit potentiæ. Phœnicis æmulus mori quidem geſtit, at in prole victurus: Sic moritur homo ut tamen vivat: ſic moritur, ne moriatur: ſic temporum injuriis, acceptiſque ſævientium elementorum detrimentis, labefactatam amittere gaudet; vegetam, integramque in ſobole, propriam iterum, eâdem induſtria in nepotes imaginem, proprioſque ſpiritus transfuſurâ, vitam recuperaturus. *Ovid. Met. 1.* Homo immortalitatem adipiſcitur filiorum filios relinquẽdo. *Plato. l. 4. de legibus.*

Quamobrem naturæ, ſuique penitus ſit immemor, qui hacce ſervandæ, etiam incolumis poſt fata vitæ cupiditate incenſus, triſtem, ingratam, pudendamque forte in liberos vitam traducere non dubitet. Atqui hujuſmodi fuerit ſæpè pœnitendus ſanè & Reipublicæ quàm noxius multorum in procreatione

ſobolis labor; niſi ſingulari prudentiâ (quod mirum pluribus videatur) animique, & ſui decoris, & Reipublicæ ſeu incolumitatis, ſeu gloriæ cupidi, ſtudio ſuſcipiatur. Singula quæ ad proſperandos ſollicitæ ſui naturæ, immortalitatiſque avidæ conatus attinere poſſunt, nec proſequi nobis animus, nec facultas; ne forte, quæ alioqui bene affectis, ſapientibuſque merito ſemper viſa ſunt ſanctiſſima, tam iniquâ, quã noxiâ meticuloſiorum hominum, ignarorum ſæpiùs, fucatæque virtutis (quales ut prioris ævi, ſic & hujus plerique, qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt) interpretatione violentur.

Ac quidem, ſi ſemel hæc mentem ſubierit cogitatio, generationis opus planè divinum eſſe: in quo delectetur etiam ſupernus parens æternitatis ſecurus & immortalitatis (eſto generationis divinæ, ut ineffabilis, ſic & ineffabile ex dignitate & præſtentia diſcrimen) hos afferet animos, hos ſpiritus, qui nihil humile ſapiant, nihil non ratione potius, mentiſque maximè compoſitæ judicio, quam cæcæ cupiditatis œſtro tentatum, nihil præceps & inconſideratum. Ideò ut anni tempeſtates obſervabit, ſic & eam acceptiſſimam habebit, & pretioſam maximè, in quâ vegetiore facto calore nativo, quod eleganter recens Poëta canebat,

——— parturit omnis
Natura, & radiis turget vitalibus aër.

Haud ſic placuerit.

—— calor æſtiuus, quo fervet torrida bilis,
Multus, & in tenues vaneſcit ſpiritus auras.

Pariter haud latebit quod,

—— Autumni vix tabida confert

Temperies: aut veſana inclementia brumæ.

Eam ergo ſervando nomini, tuendæ producendæque vitæ in prole, quam in ſe non poteſt, tempeſtatem ſeliget, quæ vitæ ſit amiciſſima: At quæ vernâ opportunior, in quâ benigna cum moderato calore regnat humiditas? Sic favente cælo, proſperiſque ſideribus auſpicatius caſtæ litabit Veneri.

At fruſtra fauſtam ætheris obſervent temperiem conjuges, qui ſuæ fuerint minus ſolliciti: traducitur vitium à parentibus in prolem, ſępiuſque dum naturæ operati ſibi videntur parentes, dum aut declinaſſe mortem genitâ ſobole, aut fugaſſe, incogitantem etiam excitant, accerſuntque Libitinam. Quid enim aliud tentet, quid moliatur, qui labaſcente naturâ, viribus effœtis, languido, noxiorumque humorum mole preſſo corpore, de vitandâ morte, ſuccenturiatâ prole, cogitet, quam in ephemerum quaſi fœtum ſuperſtites, qui pauci ſunt iique languidi maxime, traducere ſpiritus, quibus ubi deſtituêre citò in mortem, quam declinare tibi videbaris, incurras? Itaque meritò apud elegantem juxtà ac feſtivum Poëtam.

--- Pulchra ſapit, ſano qui corpore fortes
Conjugiis aptat, tædiſque jugalibus arcet
Invalidos, ſeu quos miſeræ tormenta podagræ
Affligunt, morbuſ-ve ſacer, mentiſque pudendus
Error, & inſana infeſtans præcordia bilis:
Aut pulmonis edax ulcus, paſcenſque medullas

Ignis, & excuſſo veniens in corpore labes
Scilicet humanam ad prolem (mirabile dictu)
Deciduum toto procedit corpore ſemen *
Vnde malos membrorum habitus, altéque repoſtas,
Viſceribus patrum labes, traducit in ipſam
Progeniem & natis vitam impertituramaram.

An virtualiter tantum, ut loquimur, id eſt ratione ſpirituum ex omnibus partibus ad maſſam ſpermaticam affluentium, an etiam formaliter, ut cenſet paſsim Hyppocrates? ὁ γόνος, inquit, ἔρχεται πάντοθεν τοῦ σώματος ἀπὸ τῶν ὑγιηρῶν ὑγιηρὸς : ἀπό τε τῶν νοσερῶν νοσερὸς de hoc in Animaſtica.

Re vera, ut pergam cum eodem Poëta, quàm veſanus furor,

— Latas dum poſcis ariſtas,
Triticeaque decus ſobolis, comedendaque farra,
Haud numquam immerſo tradis marcentia ſulco
Semina, ſed flavum Cereris melioris honorem.
Tu tamen intereà humanam contemnere pergis
Sementem, nec clara tua te gloria ſortis
Tangit, ut incolumes uteros, uterique colonos
Syncerumque petas valido de corpore ſemen?
Tene hominis natura latet? tenè ipſa Tonantis
Effigies? tenè hic animus cui ſydera nota;
Cui mundi genus omne ſubeſt, haud poſſit inertem
Erigere, ut vera documenta capeſſere cures
Artis, & atherea condas pulchra atria mentis?

Ergo quàm poterit, optimam liberis ſapiens

cordatuſque parens vitam impertiturus, ſic ſe gereret, ut ſanam ſibi prius procuret, qui morbidam in filios tranſmittens vitam, ut his, ſic & immaturam ſibi mortem accelerarer. Atque ideò ut extraneos vitæ, ſic & domeſticos extrudet hoſtes, ut ſanitate integrâ, tum mentis, tum corporis potiatur, quoſcumque à ſe poterit, arcebit morbos, ſeu hi ſint in σκέσει, ut loquuntur Medici, ſeu in ἕξει: hinc temulentus, vinoque largius epoto caveat, ne peragendis hiſce naturæ ſacris ſe ſe adjungat; ut enim ſileam, ſępius craſiiorum halituum ſurſum ex æſtuantibus vino partibus ingenti copiâ, ſi non penitùs viam præcludi ſpiritibus animalibus, quos ad divinum hocce opus natura ſervat in celebro, ſeu in arce, ſaltem maximè impediri, nervorum radices ſubeuntibus hiſce vaporibus, unde labaſcens, tremulumque ebriorum corpus; obruitur ſane nativus calor, ut ciborum, ſic & maximè vini copiâ, unde crudiores, humidioreſque aſſumpti alimenti reliquiæ, quibus ut refrigeratur totum corpus & madeſit, ſic & tenuior minuſque ſpirituoſa efficitur maſſa ſeminalis. At unde niſi à ſpirituum copiâ fœcunditas? quid ſi affluant ſpiritus, menteque ſui non ſatis potente naturæ ſacris operetur, timendum meritò ne paterna labe inficiatur proles. Id monet, apud Plutarchum Diogenes, qui adoleſcentem male mentis compotem videns, à Patre ebrio progenitum aſſeruit. Certè quanti momenti fuerit ſanam in corpore ſano attuliſſe mentem, monet divinus Plato, ebrios quippe liberis operam dare prohibuit, & veluti mente captos à prolis generatione arcendos voluit: Quod qui ſic affectus naturæ ſubiret ſacrarium, fœ-

lib. de liberis educandis.

l. 6. de le.

tus inſtabiles, atque ut membris, ſic & animo malè compoſitos procrearet, ad quod advertens laudatus Poeta.

Callipæd. l. 2.

Quis neſcit crudo diſtentum nectare quondam
Indulſiſſe Iovem Iunoni, atque inde creatum
Vulcanum turpem, cœlique ex arce ruendum?
Hic adeo informis vultu, membriſque pudendus;
Vt nec eum menſâ Superi: Pallaſque petito
Sit dignata toro, fœdo ſed corpore ſpretum
Iuſſerit ad calidum Veneris migrare cubile.

Nec ſat fuerit, hunc attuliſſe animum, quem vini non gravet copia, ni & à ſeverioribus curis, & agitationibus ſit immunis; ut enim in fœtum maxima vis imaginationis, quod fusè probat clariſſimus Belgii & Bavariæ Ducum Medicus, ſic & natura ſubminiſtrandis ſimul ad graviores iſtaſce cogitationes, & γόνιμοις ſpiritibus par eſſe minime poteſt. Ideo tunc aut irritus parentum conatus, aut imbecillior fœtus, quanta enim ſpirituum fiat (quorum ad divinum procreationis opus nuſquam uberior affluxus) jactura & diſſipatio in hiſce mentis gravioribus rebus intentæ agitationibus, facile intelligit, qui notante Celſo, ut urbanos ſcientiæ deditos, litterarumque cupidos, imbelles ſtomacho penè omnes exploratum habuerit ἅμα τῦτε διανόια καὶ τῷ σώματι διαπονεῖν ὐ δεῖ· ἐναντίοι γὰρ ἑκάτερος ἀπεργάζεσθαι πέφυκε τῶν πόνων ἐμποδίζων: ὁ μὲν πόνος τῦ σώματος τὴν διάνοιαν, ὁ δὲ ταύτης τὸ σῶμα simul mente & cor-

Th. Fien. ceco l. de viribus imagin. maximè q. 13.

l. 1. c. 2. init.

pore laborare haud oporteat, cum ſibi invicem uterque labor officiat, labor quidem corporis mentem, mentis autem corpus impediat, ait ſcitè Philoſophus. 8. Polit. 43

Ex paucis quæ hic ſeligimus, quam plura enim, nec injucunda quidem; nec infructuoſa, ineruditavè addere poſſemus, facile intelligitur, quàm merito illuſtris Pythagoræ auditor Ocellus Lucanus, opere de natura univerſi, parte politicâ, textu 11. δεῖ πολλὴν πρόνοιαν ποιεῖσθαι τοὺς τεκνο-ποιουμένους τῶν ἐσομένων τέκνων. i. Conſulto maximè & prudenter gerere ſe debent qui de ſuſcipienda prole cogitant.

DE RECTA EDUCATIONE PROLIS.

PARUM fuerit proſperam ſuſcepiſſe prolem, ni ſuſceptæ major cura habeatur. Illud Deorum immortalium munus, hoc laboris & ſtudii: Ergo de educatione liberorum cura potior; quæ duplex, naturalis & civilis: Hæc ad patrem, illa ad matrem maxime pertinens. De utrâque multa authores celeberrimi, ſeu antiqui, ſeu recentiores, nos pauca delibabimus.

Ac quidem ut à naturali ducamus initium, *Prava*, inquit ſanctus Auguſtinus, *conſuetudo in coniugatorum moribus irrepſit, ut filios ſuos, quos gignunt, nutrire mulieres contemnant, eoſque ad nutriendum aliis mulieribus* Refertur in c. ad ejus diſt. 5.

tradant. Quod videlicet ex ſola carnis incontinentia videtur inventum, quod dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt.

Matris ergo benè cordatæ fuerit partum nutrire fœtum, & quidem proprio lactè, quicquid dicant & reclament delicatiores: nutrire, inquam, niſi manifeſtum inde ſanitatis diſpendium ſequatur.

Ad nutrimenta naſcentis fôtibus lactis fœcundum pectus exuberat: nec enim decebat aliud, quam ut ſapiens animal à corde alimoniam duceret. *Lactant. de Opif.*

Primo: Quia ideo turgentes lacte mammas poſt partum a natura ſortitæ ſunt: *Nec enim*, ait ſanctus Ambroſius, *ſat eſt cura generandi, niſi ſuppetat efficacia nutriendi.*

Secundo: Quia id jubet natura: natura enim in generatione intendit fœtum ſimilem gignentis, in ſpecie ſimilem, & in characteribus perſonalibus, moribus, & affectibus, quia generans, quantum in ſe eſt, ambit immortalitatem: Atqui ejuſmodi ſimilitudini in moribus, & affectibus, maximè conducit lac maternum, officit èontra lac alienum; infantes enim nutricis mores cum lacte ſugunt, quod & in belluis conſpicuum: nam ſi hœdi ovium lacte aluntur, vel agni caprarum, in his lana durior creſcit, in illis capillus gignitur tenerior. Hinc Naſo ſævitiam alicujus increpans;

Lib. de Ponto.

> *Natus es è ſcopulis, nutritus lacte ferino,*
> *Et dicam ſilices pectus habere tuum.*

Nota eſt Hiſtoria Habidis apud Juſtinum, cui inter furentes æſtus, ac reciprocantes undas, velut nave, non fluctu vecto, levi ſalo in littore expoſito cerva affuit, quæ ubera parvulo offerret. *Inde*, ait Juſtinus, *converſatione nutricis eximia puero pernicitas fuit, interque cervorum greges diu montes ſaltuſque, haud inferior velocitate peragravit.*

Merito ergo Phavorinus apud Gellium, invehitur in matres, quæ infantes fœminis barbaro & agreſti ingenio præditis tradunt nutriendos, ubi dimidiatum matris genus vocat peperiſſe filium,& non lactaſſe:quin & parum abeſſe vult eam matrem, quæ fœtum in lucem emiſſum alieno committens lacti, conſueti congeneriſque ſanguinis alimoniâ privat, ab eâ, quæ horrenda immanitate eumdem in ipſis primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipſas artificis naturæ manus interficit. *In moribus*, ait ibid. *indendis magnam ferè partem ingenium altricis & natura lactis tenet, qua iam à principio imbuta paterni ſeminis concretione, & matris etiam corporis & animo recentem indolem configurat.* Hinc Dido apud Maronem de Ænea perfido quærula;

Non tibi Diva parens generis, nec Dardanus author, 4. Æneid.
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, hircanaque admorunt ubera tygres.

Tertio: Quos genuere fœtus, lacte proprio nutriunt belluæ, ergo id natura petit. Nec nobis opponant tædia, ſollicitudines & labores, quæ occurrunt in proprii fœtus enutritione; Siccine ergo naturam exuent, & naturæ ſenſum, quem juvante ratione & dictante ſummum habere debent? hos labores non refugiunt belluæ, imò inſtigante naturâ, ſummo cum gaudio amplectuntur, & refugient matres, impellente eadem naturâ, & hortante prętereà ratione? Sanè iiſdem nutrimur & conſervamur, quibus conſtamus,

ut aiunt Medici: ergo ex naturæ voto eodem nutritur & conſervatur infans, quo conſtat; at ex materno ſanguine elaboratus eſt. Certe palumbes, quæ hieme nidificat,

Mollius, ut jaceant pulli ſibi vellicat alas,
Queis nuda hyberno deficit ipſa gelu.

Diſcant homines, inquit ſanctus Ambroſius, l. 5. Examerou c. 13. *amare filios ex uſu & pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu ſedulo proſequuntur, & ſollicitè, ne teneri forte deficiant, cibum ſuggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia non relinquunt. At vero fœminæ noſtri generis citò ablactant etiam illos quos diligunt; aut, ſi ditiores ſunt, lactare faſtidiunt.*

Alſciatus in Emblem.

Deniqus refugiet immitis mater tædia & ſollicitudines nutritionis quæ ſubiit dolores partus longè graviores, & uterinæ geſtationis tædia. Ergone ejus ſenſum non deliniet, ejus ſollicitudines ſuavi voluptate non temperabit blæſa infantuli locutio, vernacula feſtivitas, gratus memoris in matrem naturæ prorumpentis impetus? an non etiam filii erga optimam matrem non multùm affectum adaugebit, & reverentiam hujuſce ſummi beneficii » recordatio? *Quæ partus ſuos deſerunt*, ut e» gregiè, inquit iſdem Phavorinus, ablegant» que à ſeſe & aliis nutriendos dedunt, vin» culum illud, coagulumque animi, atque a» moris, quo parentes cum filiis natura con» ſociat, interſcindunt, aut certe quidem di» luunt, deterrentque: nam ubi infantis alio» rum dati facta ex oculis amolitio eſt, vigor » ille materiæ flagrantis ſenſim, atque paula» tim reſtinguitur, omniſque impatientiſſi» mæ ſollicitudinis ſtrepitus conſileſcit: no-

Non in nutrices, nec in miniſteria repoſuit, ſuis a ut uberibus ſuo fovit amplexu. *Quintil. in declam.*

Apud Germanos ſua quemque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur. *Tacit. de mor. Germ.*

que multo minor amandati ad nutricem a- «
liam filii, quàm morte amiſſi oblivio eſt: «
ipſius quoque affectio animi, amoris, con- «
ſuetudinis in ea ſola alitur, occupatur; & «
proinde ut in expoſitis uſu venit, matris, quæ «
genuit, neque ſenſum ullum, neque deſide- «
rium capit, ac propterea oblitteratis & abo- «
litis nativæ pietatis elementis, quicquid ita «
educati liberi amare patrem, atque matrem «
videntur, magnam ferè partem, non natu- «
ralis ille amor eſt: ſed civilis & opinablis. «
Certe nonnumquam frigidioris hujuſce affectus in liberos pœnas luunt matres in propriæ vitæ diſcrimen adductæ; ubi lac in mammis turgentibus incaleſcens, & plane putreſcens, ipſum vitæ fontem ob viciniam impetit: Ut ergo non patiuntur belluæ proprios ſibi auferri fœtus, nec patiatur mater rationis compos ſuum alieno, & forte immiti lacte nutriri. Et vero quid aliud lachrymæ infantium, quid gemitus? In ipſo ſtatim nativitatis ſuæ or- «
tu, infantes plorantes ac flentes nihil aliud «
faciunt quam deprecantur, ait ſanctus Cy- «
prianus. Et Ovidius: Lachrymæ pondera «
vocis habent. «

Matris erit, cujus propria ſunt maximè interna familiæ officia, nutritum proprio lacte fœtum domi curare, & idoneis alimentis ad juſtam perducere ætatem. Hæc autem ætati debent eſſe conſentanea, hinc vino pueris eſt interdicendum, tum quia pueri ſunt calidiores, quibus proinde infenſus eſſe poteſt calor vini mordacior, tum quia benigna regnat humiditas, quæ caloris ſiccioris in vino prædominantis acrimonia, citius abſumeretur.

Alimenta qui negat liberos, necat. l. 4. ff. de agnoſc. liberis.

l. 3. de ira c. 20.

» Hoc noſſe profuit, inquit Seneca, ut ca-
» lentibus ingeniis ſubtrahatur vinum, quod
» pueris Plato negandum putat, & ignem ve-
» tat igne excitari: Nec cibis quidem implen-
» di ſunt, diſtendentur enim corpora, & ani-
» mi cum corpore tumeſcent. Labor illos citra
» laſſitudinem exerceat, ut minuatur, non ut
» conſumatur calor, nimiuſque ille fervor deſ-
» pumet. Luſus quoque proderunt, modica
» enim voluptas laxat animos & tempe-
» rat.

L. de bono mortis.

Recte Menander. Mater tenerius libeos adamat patre, quia mater eſſe ſcit ſuos, pater autumat, Sic omnis temperavit Deus, ut quibus minus rationis daret, plus indulgeret affectus.

S. Ambroſ. l. 5. Exam. c. 4.

Patris munus eſt, ut pote prudentioris & totius familiæ capitis, educationi naturali, quam præſtabit mater, aliquando invigilare, & conſiliis conferre. *Quiſque in filiis æſtimatur*, inquit ſanctus Ambroſius, & *ad negligentiam patris refertur diſſolutio filiorum.* Hinc teneriores materni amoris affectus, ad molliorem liberorum educationem inclinantes, prudenter temperabit, educandi enim ſunt liberi, Chriſto: ergo pie & ſanctè, ad morum caſtitatem & auſteritatem. *Tibi ſunt* filii, inquit ſanctus Auguſtinus, lib. de viduitate, *quos forte Anna non habuit: nec ideo laudanda es, quia eos habes, ſed quia piè nutrire, atque educare ſtudes: ut enim tibi naſcerentur, fœcunditatis; ut vivant, fœlicitatis eſt: ut autem ſic inſtituantur voluntatis eſt & poteſtatis:* Educandi & qui Reipublicæ in difficilibus & laborioſis muneribus, in bellis ſuam gnaviter collocare poſſint operam. Hinc Juvenalis,

Gratum eſt quod patriæ civem, populoque dediſti,
Si facis, ut patriæ ſit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.

Parentes

PARENTES, ut notat ſanctus Ambroſius, durám debent accipitrum inclementiam æmulari, qui proprios, ubi primo ad volandúm tentant, fœtus è nido exturbant, de præbenda ipſis alimonia amplius non ſolliciti: Cavent, « inquit, ne in tenera ætate pigreſcant, ne ſol- « vantur deliciis, ne marceſcant otio, ne diſ- « cant cibum magis expectare, quam quære- « re, ne naturæ ſuæ deponant vigorem, inter- « mittunt ſtudia nutriendi, ut in uſus rapiendi « audere compellant. « *l. 3. Exam.*

HINC quædam gentes, ut Germani, recens natos infantes frigidis aquis immergebant, ut ab ipſo ortu duris, ac difficilibus aſſueſcerent, & Claudianus Honorium de ſuſceptis à tenerâ ætate laboribus laudaturus,

Mox ubi firmaſti recto veſtigia greſſu, *Paneg. 3.*
Non tibi deſidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec ſomnos genitor permiſit inertes,
Sed nova per duros inſtruxit membra labores,
Et crudâ teneras exercuit indole vires,
Frigora ſæva pati, gravibus non cedere nimbis,
Æſtivum tolerare iubar, tranſnare ſonoras
Torrentum furias; aſcenſu vincere montes,
Planiciem curſu, valles & concava ſaltu:
Nec non in clypeo vigiles perducere noctes.
In Galea portare nives, nunc ſpicula cornu
Tendere, nunc glandes baleari ſpargere funda.

Sed de hoc jam fuſiùs.

DE RECTA ADOLESCENTIS PROLIS INSTITUTIONE.

RECTE Solon aliàs ſanxerat, ut à quovis vocari poſſent, & adduci in judicium, qui educationem prolis rectam, inſtitutionemque neglexiſſent. Sciebat prudens Legiſlator, quanti intereſſet non tantùm parentum; ſeu anguſtioris fortunæ, quorum egeſtas, ingruenſque calamitas ſobolis recte inſtitutæ piis laboribus, & ſtudiis arcetur; ſeu proſperioris, quibus dignitas filiorũ laus eſt & gloria, inquit Imperator Juſtinianus, ſed & Reipublicæ, in quâ abſque rectâ juvenum inſtitutione inanes futuras prorſus leges monuit Platо, & ex cujus aſpernatione totam ferè concidiſſe Greciam teſtatum reliquit Ariſtoteles noſter. Hanc ob rem ſummam adhibebunt diligentiam parentes, ut in ſenectute ſibi ſolatium, & levamen, Reipublicæ præſidium, rectâ liberorum inſtitutione, procurent.

l.4. 5.6. de leg. 1. Eth.

Si accipis filios, inquit ſanctus Auguſtinus, *magis cogita quomodo nutrias qui nati ſunt, quàm ut naſcantur: non enim fœlicitas eſt habere filios, ſed bonos habere.* Idem habet ſanctus Chryſoſtomus Homil. 44. ad popul. Antioch. ubi præcipuum matris opus non in liberorum ſuſceptione, ſed ſtudioſâ educatione ſitum eſſe ſtatuit: ſuſcepiſſe ſcilicet ac peperiſ-

ſe, naturæ munus eſſe, rectè ſapienterque inſtituiſſe virtutis ac voluntatis.

Ac quidem ut utriuſque ſexus commixtione, natura ſpeciei æternitati conſultum voluit, ſic & procreatione, familiæ felicitati. Habent conjuges non leve lætitiæ argumentum, quorum ſanctos conatus, maſculæ ſimul, & fœmineæ prolis generatione Numen fortunat. In utraque enim proprios uterque parens, ut ſummo cum gaudio intueri poteſt characteres, ſic ex utrâque, quæ ab altera tantùm, etiamſi alioqui bene affectâ, ſperare vix liceat, expectare poteſt pietatis officia. Ideo & utriuſque recte inſtituendæ parentes maximè debent eſſe ſolliciti.

S. Ambroſ. in illud Lucæ c. 1. Ne timeas Zacharia. Admonemur hoc loco, inquit, ſanctorũ generatione lætari. Admonẽtur etiam parentes gratias agere, non minus pro ortu, quam pro meritis filiorum. Non enim mediocre munus eſt Dei, dare liberos propagatores generis, ſucceſsionis hæredes. *Et poſt.* Divinum munus eſt fœcunditas parentis. Agant itaque patres gratias, qui generaverunt; filii, quia generati ſunt; matres, quia conjugij præmiis honorantur. Stipendia enim militiæ ſuæ filii ſunt.

Puellarum inſtitutionem, quam & Reipublicæ intereſſe maxime, docet Philoſophus, ut non ſpernat prorſus prudens paterfamilias, curabit maxime mater: ut pietatem, ſic & pudorem imprimis exemplo magis quam præcepto inſpirabit, ad operas muliebres domeſticaſque ſollicitudines erudita domi.

2. Pol. 7.

Id docet de liberorum inſtitutione, & puellarum à matrib. *S. Chryſoſt hom. 9. in 1. ad Timoth.*

Clauſa tibi virgo thalamis ſervetur honeſtis.
Scilicet.

Forma puellarum ſervata parentibus agrè eſt.

Recte Senex Apœcides apud Plautum ad Periphanem qui ſeorſum à juvenum ullo commercio concludi jubet filiam ſuam, quod divertant mores virgini longe ac lupæ:

in Epidiaco a. 3. ſc. 3.

Docte & ſapienter dicis: non nimis poteſt
Pudicitiam quiſquam ſua ſervare filiæ.

Institutio marium tatris erit maxime: continetur autem egregiis, tum corporis, tum animi artibus & exercitationibus: ad utraſque ut bene comparatos habeat prudens paterfamilias, ætatis habebit rationem maximè, quæ tractabilis & tenellarum ſtirpium adinſtar, omnem in partem flexilis, ut bene monet illuſtris Cardinalis Sadoletus, eleganti opere, quod de inſtituendis liberis conſcripſit. At ut ſicciores facti, duci ſe, flectique non patiuntur rami, primi ſitus figuræque tenaciores, ſic & aſſuetudo altera natura, &

Horat. *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem*
Teſta diù.

Ac quidem labore componitur corpus ad egregia virtutis facinora, quorum vix capax cujus mollior & delicata nimis educatio.

Horat. l. 3. Od. 2.

Anguſtam amice pauperiem pati,
Robuſtus acri militia puer,
Condiſcat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſtâ
Vitamque ſub dio & trepidis agat
In rebus.

Sic firmabuntur artus induratis nervis & muſculis, ſic totum corpus vegetum fiet robuſtum, & à morbis quos temporum injuriæ inſtabilitaſque procreant in delicatoribus ſecurius. Ideò ſapientiſſimi Laconum inſtitutoris legibus juventus Spartana venatu curſuque aſſiduo exercebatur, fami, ſiti, algori, æſtuique obnoxia, exercebatur & Romana. Meminerit prudens paterfamilias deliciis frangi vires cum animo, nec ad magna idoneum, qui ab ipſis ephebis voluptati litaverit, ideò Lyricus Poëta in corruptos ſæculi ſui mores invehens;

Plutarch. in Laconicis.

L. 3. Od. 6.

Non his juventus orta parentibus,
Infecit æquor ſanguine Punico,
Pyrrhumque & ingentem occidit
Antiochum, Annibalemque dirum,
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Verſare glebas, & ſeveræ
Matris ad arbitrium reciſos
Portare fuſtes; ſol ubi montium.
Mutaret umbras, & juga demeret,
Bobus fatigatis amicum
Tempus agens abeunte curru.

Exercitum victorem Capuanæ fregere deliciæ; nec Veneris Myſtes Marti feliciter litet. Hinc iſdem Horatius ad Lydiam illecebris ſuis Sybarin adoleſcentem miſere pertrahentem.

Lydia, dic per omnes
Te Deos oro, Sybarin cur properes amando l.1.od. 8.
Perdere? cur apricum
Oderit campum patiens pulveris atq; ſolis?
Cur neque militaris
Inter æquales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frænis?
Cur timet flavum Tyberim tangere? cur oliuā
Sanguine viperino
Cautius vitat? neq; jam livida geſtat armis
Brachia; ſæpe diſco,
Sæpè trans finem iaculo nobilis expedito?

Quid, ſi in ea ætate, quæ ex naturæ votis incremento corporis dicata eſt, meliores ſpiritus adoleſcens immaturæ conſecret Veneri? tunc ſanè ut debilitabitur maximè corpus, & ad egregia arduaque facinora evadet impotens, ſic & ſiquis ſequitur fœtus, imbecillis erit ac mutilus. Ideò Philoſophus inepta dixit adoleſcentium connubia, ut inde ſoboles emergat, Pol. 7.

eò quòd ab his in unoquoque animantium genere prodeuntes fœtus, imperfecti ſint, & fœminas potiùs, quàm mares ac tenuia, & exigua corpora progignant. Atqui tamen ætas iſthęc tàm ad Venerem proclivis, quàm inepta. Ideò

Iuvenal. Sat. 14.

Nil dictu fœdum, viſuve ea limina tangat
Intra quæ pour eſt, procul hinc, procul inde puella
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia, ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos.

Hinc providebit prudens paterfamilias quodlibet cum dubiæ ancipitiſque morum caſtitatis hominibus, commercium: quin & familiaria cum ſervis filiorum-familias colloquia arcebat Plato à familia bene inſtitutâ, quod ut eorum conſuetudine inanes fabulas, ſic & turpes ſæpius jocos ac nugas addiſcerent. At ut monet Seneca:

Pejora juvenes facilè præcepta audiunt.

Et prudenter Mantuanus Poëta,

Verba movent animos, oris laſcivia pectus
Pulſat, & in venas ſemina mortis agit

Lib. 1. inſtit. orat. c. 2. Loquitur ibi de vitijs linguæ, quid ni pariter dicatur de cæteris?

Concepta in hacce ætate impudicitiæ ſcintilla magnum poſtea gignit incendium. Ideò rectè Quintilianus: *Vitia niſi primis eximantur annis inemendabili in poſterum pravitate durantur:* Et *frangas citius, quam corrigas, quæ in pravum induruerunt.*

Quod ſi tantum adhibere debeat optimus parens ſtudium, ne quid obſcœnum ex aliorum conſuetudine hauriat filius, quanto magis ne inſpiret ipſe, ſeu præcepto, ſeu exemplo. Parentem probū eſſe oportet, qui gnatū ſuum probiorem, quam ipſus fuerit poſtulet. *Plaut.*

—velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis *Iuvenal. Satyr. 14.*
Cum ſubeunt animos authoribus.

At quem alium à parente imitetur potius filius? hinc

Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo

Væ flagitioſiſſimo parenti, quiſquis ut alter Demænetus

—cum filio
Potat, atque unâ amicam ductat decrepitus ſenex, *Plaut in aſinariâ.*
Et ipſe corruptus porrò ſuum corrumpit filium.

Exemplo quod peccarit tuo, emendare poſteâ hâc, ſcelere proprio, authoritate privatus, quam natura dederat, haud poteris.

Nam ſi quid dignum cenſoris feceris irâ *Iuvenal. Satyr. 14.*
Quandoque & ſimilem tibi ſe, non corpore tantum,
Nec vultu dederit, morum quoque filius, & cum
Omnia deterius tua per veſtigia peccet,
Corripies nimirum, & caſtigabis acerbo
Clamore, & poſt hac tabulas mutare parabis!
Vnde tibi frontem, libertatemque parentis

Cum facias pejora ſenex, vacuumque cerebro
Iam pridem caput hoc ventoſa cucurbita quærat?

Atqui tamen ſuorum rectæ inſtitutionis ſollicitus, cujus authoritatem nota firmet virtus & probitas ſuavem Pater temperatamque emendandis filiorum, ſi fortè à virtutis normâ deſciſcunt, moribus ſeveritatem adhibere quandoque debet. *Amare quidem liberos dulce*, ait S. Ambroſius, *& impenſius amare prædulce:* at ut bene ſubjungit, *frequenter amor ipſe patrius, ni moderationem habeat, nocet liberis.* Suavem dico & temperatum: parentes enim qui ad iram provocant filios, eos ad culpam cogere videntur, ut notat iſdem S. Ambroſ. *Nempè in irâ*, inquit, *nemo agnoſcit, quid ſit utile, idcirco temperantiam parentum exemplo debent addiſcere, ut quæ utilia ſunt ſectentur. Debent recordari Patres*, inquit alibi, *quia fuerunt & ipſi filij, conſiderare autem filij, quia futuri ſunt patres*, ut æquo librato conſilio utriuſque partis, & filij ſubjecti ſint, & patres modeſti. Recte Chremes ad Menedemum mœrentem qui Miſenum, ut loquitur, filium ſuâ injuſtitiâ domo abegerat.

In metu eſſe hunc illi eſt utile. *Chremes de filio paternâ domo pulſo apud Terent. in Heaut in. ſc. 1. act. 2.*

Apud Terent. in heauton. ſc. 1. act. 1.

Ingenio te eſſe in liberos leni puto, & illum obſequentem, ſi quis recte aut commode
Tractaret. Verum neque tu illum ſatis noveras
Nec te ille: hoc ibi fit, ubi non vere agitur
Tu illum, nuſquam oſtendiſti, quanti penderes
Nec tibi ille eſt credere auſus quæ eſt æquum patri.

Quod

Quod ſi eſſet factum hæc numquam exiiſſent tibi.

Accepta magis erit caſtigatio paterna filiorum cuique, qui ſe minus à patre diligi non ſuſpicabitur. Idcircò caveat ſapiens pater, ne quem ſuorum præferre viſus aliorum indignationem moveat. *Plus acquiritur filio*, inquit iſdem S. Doctor, *cui fratrum acquiritur amor: hac præclarior munificentia patrum, hac ditior hæreditas filiorum; iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura. Libertatem tamen*, inquit iſdem *parentibus auferre non poſſumus, ne eos plus diligant reverâ quos plus credunt mereri, nec filiis reſecare ſtudium plus placendi* Condonabunt tamen nonnunquam delicta, ubi ad meliorem frugem recipientes ſe filij, factique pœnitentes veniam deprecabuntur. Hinc iſdem S. Doctor Siſynnium laudans, quod filio, qui eo inconſulto duxerat uxorem, pepercisset: *Feciſti*, inquit, *quod boni parentes, ut cito parceres, ſed obſecratus: nam antequam rogareris, non erat ignoſcere, ſed factum probare. Deinde diutius differre veniam, & tibi acerbum & illi inutile. Languent per inertiam ſaginata*, inquit illuſtris Stoïcus, *& ipſa ſui mole deficiunt. Optimus parens*, qualem ergà bonos dilectoſque ſibi præſtare ſe Deum, docet Seneca, *filiorum, quos exercet, induratque laboribus, delectatur lachrymis, atque ut aliquando ſinat honeſta indulgere oblectationi, diebus etiam feriatis non patitur prorſus otioſos. Vita quidē noſtra*, ait ſcitè Gellius l. 11.* *ferrum imitatur: ferrum ſi exerceas, conteritur, ſi non exerceas, tamen rubigo inficit: ſic & homines exercendo videmus conteri; ſi nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti affert*,

l. de provid.

Danda eſt tamen omnibus aliqua remiſsio: nō ſolū quia nulla res eſt quæ perferre poſsit cō-tinuum laborem:

quàm exercitatio. Ideo laboribus aſſueſcent adoleſcentes, qui auctis ætate viribus, ſenſim & adaucti dignos præſtent ſeſe, qui ſuam reipublicæ aliquandò operam exhibeant. Ut in lubrico maximè poſita iſthæc ætas, ad virtutem, vitiumque facile ductilis, ſic & aſſiduo excolenda ad probitatem labore; *Facillime*, inquit Seneca, *tenera concitantur ingenia ad honeſti rectique amorem:* &

Nemo adeo ferus eſt qui non manſueſcere
poſſit;
Si modo cultura patientem commodet aurem

atque ea quoque, quæ ſenſu & anima carent, ut ſervare vim ſuam poſſint velut alternâ quiete recundunturr, ſed quod ſtudium diſcendi voluntate quæ cogi non poteſt conſtat. Itaque & virium plus afferunt ad diſcendum timorati ac recentes & acriorem animum. *Quintil. l. inſtit. c. 4.* *Horat.*

Omnia *aliena ſunt*, inquit Seneca, *tempus tantum noſtrum eſt, in huius rei unius fugacis ac lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit, hoc unum eſt, quod ne gratus quidem poteſt reddere:* ante omnia igitur ſuorum inſtitutionem meditanti patrifamilias de recte, & cum fructu, collocando ſuorum tempore cogitandum: rectè enim Poëtarum genius.

—— eunt anni more fluentis aquæ;
Nec quæ præteriit curſu revocabitur unda,
Nec quæ præteriit hora redire poteſt.
Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas,
Nec bona tàm ſequitur, quàm bona prima fugit.

Damnoſiſſima eſt temporis jactura, ut bene monet Plutarchus, ipſique tempori ſapientiſſimi quique Imperatores ſervire gloriantur.

Nusquam autem melius ac felicius ſe geret, quàm ſi, non modo à turpibus ac facinoroſis, quod avertat Deus, ſed & inutilibus pretioſos adoleſcentiæ annos conſectari minime patiatur. Nemini enim ſufficiat pru-

denti & cordato, conditioniſque humanæ ac dignitatis memori, declinaſſe à malo, niſi & fecerit bonum, ut loquar cum Scripturâ. Atque ut prudentis fuerit hortulani, non modo cicutam, alioſque venenatos frutices, in hortis ſuæ curæ atque induſtriæ commiſſis, minime pati, ne mortem incautis citiùs pariant, quàm oblectationem; ſed & ſparſis ubique floribus, intermixtiſque oleribus nutriendæ voluptati ſimul & fovendæ ſanitati maxime incumbere; ſic nec ſatis fuerit parenti ſuorum ſtudioſo, ſceleratos flagitioſoſque, quos animæ deleteria merito dixerim, actus prohibuiſſe, aut pravos eradicaſſe è ſuis habitus, nisi illi laudabilium operum, veluti tot florum, crebrâ & aſſiduâ quaſi germinatione, & caſtâ ſapientes voluptate perfundant & animi tueantur firmentque ſanitatem. Agendum igitur eſt ſtudioſo adoleſcenti, ſed bene, atque laudabiliter agendum: cum enim omni hominum generi, atque ætati maximum afferant otia detrimentum, tum maximè ei ætati, quam excolendæ perficiendæque rationi natura dicavit, cujus pretioſiſſima ſunt atque aurea momenta, quæque ob ſpirituum luxuriem caloriſque copiam, omnis otii impatiens, ſi feriis atque altioribus non incumbit, in vetita quæque, atque flagitioſa miſerè delabitur.

Ὡς πολλὰ θνητοῖς ἡ σχολὴ ποιεῖ κακά:

Quam multa mortalibus mala parit otium! exclamat Menander: nati ſcilicet ſumus ad actionem, & quidem ad actiones eo excellentiores quo meliorem præſtantioremque rebus aliis ab authore magnifico naturam accepimus: res enim quæque, quò nobilior, eò magis actuoſa, meliorumque opifex: quomodo

igitur feriabitur inerſque remanebit natura divinæ æmula, miraculum miraculorum ut ajebāt veteres? Divinam ſi non vivit vitam, belluinam amplexabitur, genio indulgebit non ingenio, humanâque dignitate excidens ad ferinam otio libidinem immanitatemque deprimetur.

Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus,
Ovid. *Contemptaque iacent & ſine luce faces.*
Quàm platanus rivis gaudet, quàm populus undâ,
Et quàm limoſa canna paluſtris humo;
Tàm Venus otia amat,

Atque ut ſtatim monet iſdem Ovidius:

Quæritur Ægiſtus, quomodo ſit factus adulter,
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

Otium ergo Cane pejus & Angue cuilibet, maxime vero adoleſcenti fugiendum. *Nihil agendo homines, male agere diſcunt*, inquit Columella, *animique otio & copiâ laſciviunt*, ait ſcite Livius. (l. 11. 1. Decad. l. 2.) Ergo cordatus liberorumque, ut decet, ſollicitus, ſegne non patietur in iis otium, quos ad Senectutis ſuæ levamen & ſolatium, ad nominis ſui perennitatem & ſplendorem, ad reipublicæ bonum incolumitatemque inſtituet.

HANC ob rem ne qua contingat tam pretioſi in ætate facili jactura temporis, omne adhibebit in dignoſcendis ſuorum ingeniis, in penetranda indole, dijudicandis propenſionibus acumen & diligentiam.

Propert. *Sunt quibus Elea concurrit palma quadriga,*
Sunt quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus utilis armis:
Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

NON *omnis*, inquit Poëta, *fert omnia tel-*

lus: Atque ut, loquente Quintiliano, nemo *l. 1. inſtit.*
ſit tam hebes & tardum a natura ſortitus ingenium, qui non ſit ſtudio aliquid conſecutus; tanti tamen faciendi non ſunt, quos, allaborante minime naturâ, percipias laborum ingeminatorum fructus, ut viliora, quibus natus videare, ſpernas, & ad præſtantiora digni oraque, quibus feliciter, & cum gloria gerendis impar ſis, munera te cõferas. Vix quemquam a deò naturæ infelicis & genii invenias, qui in aliquo, ſi indoli ſuæ pareat, non poſſit excellere: ergo inſiti cuique à natura explorandi ſunt igniculi, qui feliciter ſuſcitentur poſtea: ſcilicet favente fluvio citiùs longè faciliùſque ſuſcipitur natatio, quàm repugnante & adverſo; &

Vix quicquam invitâ liceat tentare Minervâ.

Hæc ubi prudens præſtiterit pater, advocato etiam, ſi ita videbitur, amicorum conſilio, quorum familiaris conſuetudo ad dignoſcenda puerorum ingenia multum juverit, quorum omni ſtudio excolet indolem: mox cuique hos ſeliget Magiſtros, qui ut probitate morum commendabiles erunt maxime, ſic & artis ſuæ peritiâ inſignes. Hi an privati debeant eſſe, an publici diſputabimus infrâ, ut & quâ ratione rectè inſtituendum ſit ſtudium, ſeu eloquentiæ ex Quintiliano, ſeu Philoſophiæ (ſi utrique ſuavi naturæ benignioris munere nati ſint) ex inſtitutione Philoſophi, quam ad divinæ morum magiſtræ, vitæque ducis dignitatem, ad errorum & tenebrarum, quibus diſciplina prẹſtantiſſima veluti nævis deturpatur, & deformatur amandationem, ad omnium ejus cupidorum utilitatem meditaz

mur, ediſcendum. Ibi (ſi verè doctis & cordatis noſtri placebunt, quos ad publicum ſuſcipimus bonum labores: gregariorum enim & lucri potiùs, quam doctrinę, ſapientiæque ſectatorum judicia flocci facimus, quibus qui diſplicet cõmendabilior) quibus ſeu animi, ſeu eruditionis dotibus inſtructus, quod παρεταιπκῶς aliquando tetigimus, Sophiæ ſacrarium, candidatus introire debeat, aperiemus: quomodo cum laude & fructu ſtadium decurrere poſſit, qua ratione hauſta per biennium Philoſophicum documenta, ſeu repurgare, ſeu adornare, & illuſtrare, ſeu applicare oſtensâ prçcipuorum Philoſophiæ dogmatum, cum ſuperioribus diſciplinis, ut Theologiâ, Medicinâ, &c. connexione, & ad eas percipiendas uſu aperiemus. Atque hęc prçcipua inſtitutionis rectæ liberorum capita fuerint. Si te non gravat lector, quæ de rectè componendis puerorùm moribus tradit inſignis Stoïcus, Imperatoris Romani Neronis Prçceptor, dignus qui meliorem nactus eſſet diſcipulum, ſubjungam ex l. 2. de irá ubi poſtquam cap. 20. laboribus modicis, ut & vivendi generi ſobrio, atque temperanti aſſueſcendos tradidit, ſic cap. 21. exorditur.

De Pædagogis hoc amplius: ut aut ſint eruditi plane, quã primam curam eſſe velim, aut ſe non eſſe eruditos ſciant. Nihil enim pejus eſt iis qui paulũ aliquid ultra primas litteras progreſſi falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem induerunt. Nam & cedere præcipiẽdi peritis indignãtur, & velut jure quodam poteſtatis, quo fere hoc hominũ genus intumeſcit imperioſi, atque interim ſævientes ſtultitiam ſuam perdocent. *Quintil. l. 1. c. 2. initio.*

» Mollienda, inquit, fovendaque talia ingenia, & in lętitiam avocanda ſunt. Et quia aliis contra iram, aliis contra triſtitiam remediis utendum eſt, nec diſſimilibus tantum iſta, ſed contrariis curanda ſunt, ſemper ei occurremus, quod increverit. Plurimũ, inquam, proderit pueros ſtatim ſalubriter inſtitui. Difficile autem regimen eſt: quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. Diligenti ob-

ſervatione res indiget. Utrumque enim, & «
quod extollendum, & quod deprimendum «
eſt, ſimilibus alitur. Facile autem etiam at- «
tendentem ſimilia decipiunt. Creſcit licen- «
tiâ ſpiritus, ſervitute comminuitur. Aſſur- «
git, ſi laudatur, & in ſpem ſui bonam addu- «
citur: ſed eadem iſta inſolentiam & iracun- «
diam generant. Sic itaque inter utrumque «
regendus eſt, ut modo frænis utamur, modò «
ſtimulis: nihil humile, nihil ſervile patiatur. «
Nunquam illi neceſſe ſit rogare ſuppliciter, «
nec proſit rogaſſe. Potiùs cauſſæ ſuæ & prio- «
ribus factis, & bonis in futurum promiſſis «
donetur. In certaminibus æqualium, nec «
vinci illum patiamur, nec iraſci. Demus «
operam, ut familiatis ſit his, cum quibus «
contendere ſolet: ut in certamine aſſueſcat «
non nocere velle, ſed vincere. Quoties ſu- «
peraverit, & dignum aliquid laude fecerit, «
attolli, non geſtire patiamur: gaudium enim «
exultatio, exultationem tumor, & nimia «
æſtimatio ſui ſequitur. Dabimus aliquod «
laxamentũ: in deſidiam vero otiumq; non: re- «
ſolvemus, & procul à contactu deliciarum «
retinebimus: nihil enim magis facit iracun- «
dos, quam educatio mollis & blanda. Ideò «
unicis, quò plus indulgetur, pupilliſque quò «
plus licet, corruptior animus eſt. Non re- «
ſiſtet offenſus, cui nihil unquam negatum «
eſt, cui lachrymas ſolicita ſemper mater ab- «
ſterſit, cui de pædagogo ſatisfactum eſt. Non «
vides, ut majorem quamque fortunam ma- «
jor ira comitetur? In divitibus, nobilibuſ- «
que, & magiſtratibus pręcipuè apparet, cum «
quicquid leve & inane in animo erat, ſecun- «
da ſe aura ſuſtulit. Felicitas iracundiam nu- «

»nutrit, ubi aures ſuperbas aſſentatorum turba
» circumſtetit. Tibi enim ille reſpondeat: Non
« pro faſtigio te tuo metiris: ipſe te proij-
» cis, & alia quibus vix ſanæ, & ab initio be-
» ne fundatæ mentes, reſtiterint. Longe ita-
» que ab aſſentatione pueritia removenda eſt.
» Audiat verum & timeat: interim vereatur
» ſemper, majoribus aſſurgat; nihil per ira-
» cundiam exoret. Quod flenti negatum fue-
» rat, quieto offeratur, & divitias parentum
» in conſpectu habeat, non in uſu, expro-
» brentur illi perperam facta.

» Pertinebit ad rem, pręceptores pæda-
» dagogoſque pueris placidos dari. Proximis
» applicatur omne quod tenerum eſt, & in
» eorum ſimilitudinem creſcit. Nutricum &
» pædagogorum retulere mox in adoleſcen-
» tiam mores. Apud Platonem educatus puer,
» cum ad parentes relatus vociferantem vide-
» ret patrem, Nunquam, inquit, hoc apud
» Platonem. Non dubito quin citiùs patrem
» imitatus ſit, quàm Platonem. Tenuis ante
» omnia ſit victus, & non pretioſa veſtis: &
» ſimilis cultus cum æqualibus. Non iraſce-
» tur aliquem ſibi comparari, quem ab initio
» multis parem feceris. Hactenus Seneca.

DE REI FAMILIARIS
CURA.

UT maxima optimi patris familias cura; potiſſimum ſtudium in inſtituendis rtè ad pietatem, & honeſtatem liberorum ſuorum moribus collocatur, quo ſenſu S. Ambroſ. *Fides utrique indiſcreta ſexui, cenſus virorum, dos virginum: hanc qui à patre relictam habet, hujus hæreditas locuples eſt Deo, licet egena ſæculo.* Haud tamen negligere debet, aut parvi facere, quæ ad rem familiarem pertinere poſſunt. *Equidem aio*, ait Socrates apud Xenophontem, *eum qui ſciat, quibus opus ſit, eaque comparare poſſit, cuicumque tandem rei præſit, bonum præfectum eſſe.* Scilicet ex celebrato in ſcholis axiomate, *qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe.* Inter hæc autem rectè numerentur opes, & commoda familiæ, quibus incolumis ſervatur vita, pacata ſit, atque ſuavis. Hujuſce parentum, in parandis, ubi licet, opibus, queis à miſeriâ & egeſtate ſecuri ſint filij, ſollicitudinis typum, etiam in rerum inanimatarum procreationibus, natura poſuit. Ubi aliquod corpus naturale, ſeu forma, aiunt Phyſici, ſuas vires exerit in ſubjectum ſeu materiam, illicò præjacentes, queis generanda forma à ſuis functionibus præpediretur, diſpoſitiones, qualitateſque extrudit, novas autem ſubſtituit, quibus præparetur ad formæ introducendæ ſuſcep-

In exhort. ad virgin.

l. 3. memorab.

tionem materia, ſic & hæc introducta, ſeu tamquam inſtrumentis ad omnia ſua ritè obeunda, ſeu tamquam ſatellitio ad arcendos hoſtes & propellendos utatur. Non ergo ſat fuerit ex naturæ inſtituto formam ſui ſimilis procreationi vires ſuas impendere ni & productam earumdem, quibus ipſa armatur qualitatum diſpoſitionumque præſidio muniat. Non abſimili ratione parentibus haud fuerit ſatis, omnem quam poſſunt liberis gignendis navaſſe operam, in quos propriam tranſmiſerint, ut ita loquar, vitam & animam, niſi & ſervandæ iſtice vitæ, fovendæ incolumi, & à variis vitæ calamitatibus & ærumnis tuendæ, modicarum opum, ubi poſſunt, congerendarum ſtudio conſultum velint. Eas comparare ut mariti fuerit maximè, ſic & conſervare: atque ut utriuſque, ſic & uxoris potiſſimum domeſticâ (quam ſordidam noluerim) parſimoniâ, partes fuerint.

DE ACQUISITIONE
DIVITIARUM.

ACQUISITIONIS honeſtæ opum, quæ patrisfamilias fuerit, octo rationes refert ALSTEDIUS. Prima per agriculturam & dicitur ruſtica: ſecunda affinis ei Bucolica ſeu Pecuaria: tertia metallica ſive foſſoria, qua lapides & metalla eruuntur è terra: quarta, prædatoria, venatoria, aucupium, piſcatura: quinta, mercatura, quæ juris eſt gentium, & ad Reipu-

blicæ amplificationem potiſſima. Hinc Rerumpublicarum inter alias Venetæ, tum Belgij ſplendor, quam ſi tam fauſtis avibus exerceremus nos, quid cum imperio Gallico conferri poſſet haud video; Atqui ut & hoc ſperemus, facit proſpera Regis noſtri ſollicitudo. Sexta, Officiaria, qua quis ſuam aliis addicit operam. Septima, extraordinaria, ut eſt luſus honeſtus, inventio rei, donatio: Octava demum mixta ex pluribus, quamvis raro bene vertat πολυπραγμοσύνη. Prolixior fuerim, ſi quæ ad ſingularum naturam commendationemvè pertinent, proſequar. Ergo duas ſeligo, ruſticam & officiariam, ut quę præcipuæ ſint, & quibus fere omnes aliæ contineri videantur.

DE AGRICULTURA.

AGRICULTIO, quæ inde dicta ruſtica; ſeu Georgica, ut omnium naturæ votis conſentanea maximè, ſic & à criminis reatu non modò, ſed & ſuſpicione tutiſſima: unde Philoſophus, *Optima*, inquit, *ratio parandi opes, eſt agricultura*. Et Tullius, *Omnium rerum ex quibus aliquid exprimitur, nihil eſt agricultura me'ius, nihil uberius, nihil libero homine dignius. Scilicet vita ruſtica*, inquit alibi, *quam nos agreſtem vocamus, parcimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra eſt, quæ maxime diſiuncta à cupiditate, & cum officio conjuncta, cujus & ſumma neceſſitas & jucunditas incredibilis, & excellentia dignitaſque minime vulgaris.*

1. Oecon.

1. Offic.

Summa neceſſitas: quid enim neceſſe magis,

quàm vitam, quæ cæterorum baſis & fundamentum, ſervare incolumem? atqui hæc abſque aſſiduo agrorum cultu, quo terræ excitetur fœcunditas, & promoveatur, perennare minimè queat. Hanc viventium omnium (ut ſileam ex contractâ labe primariâ triſtis in vitæque, veluti abſque improbo ſontis hominis labore & ſudoribus, aut inanes aut noxios deleterioſque terræ conatus) conditionem eſſe voluit rerum omnium author, ut quę aſſidua caloris nativi, quo vita continetur, in humorem benignum actione fit jactura & diſſipatio, ut ingruentia indè damna alterius humoris, ſi non congeneris prorsùs, ſimilis certè quam maximè acceſſu & appoſitione, quoad fieri poſſet, reſarcirentur. Unde vero humor iſte labaſcentis vitæ reſtauratur? unde ſuccus ſuavis, quo & recreantur partes, ſic & ſpiritibus reparatis totum corpus exhilaratum ad obeunda denuo omnia vitæ munia promptius fit, & alacrius? an ut alia ſileam ex lapidibus atque metallis? Ut dem forte lapidum nonnullorum, metallorumque, ut auri, quod potabile vocant, ſumptione ſopitos quaſi partium vitæ conſervationi deſtinatarum excitari ſpiritus, forte cedere in alimoniam meritò quis dubitarit. At etiam nutritium ex his natura ſuccum eliciat; Ergone ſat eorum ferax, quibus omnes ut nutriantur, ſic & ſpiritus ad ardua quæque opera neceſſarij procreentur? Ergo ex plantarum ſeminibus, ex emortuorum non ſenio, maraſmove animalium partibus, ſed vi ac induſtriâ occiſorum expectanda alimonia: horum autem omnium

Magna parens terra eſt.

Ovid. Met. 1 Merito ergo elegans, juxtà & eruditus rei

ruſticæ ſcriptor, *Sine ludicris artibus, atque etiam ſine cauſidicis, olim ſatis felices fuerunt, futuraque ſunt urbes; at ſine agricultoribus, nec conſiſtere mortales, nec ali poſſe, manifeſtum eſt.* *Columella Præf. l. 1.*

Jucunditas quoque incredibilis, quæ maximum, ætati etiam ſenio gravatæ ſit oblectamentum. Quantâ voluptate deditos ſibi perfundat, ex Catone majore audiamus. Incredibiliter, inquit, delector voluptatibus « agricolarum, quæ nec ullâ impediuntur ſe- « nectute, & mihi ad ſapientis vitam proximè « videntur accedere: habent enim rationem « cum terrâ, quæ nunquam recuſat imperium, « nec unquam ſine uſura reddit quod accepit: « ſed aliàs minore, plerumque majore cum « fœnore. Quamquam me quidem non fruc- « tus modò; ſed etiam ipſius terræ vis, ac na- « tura delectat: quæ cum gremio mollito ac « ſubacto ſparſum ſemen excepit: primum « id occatum cohibet; ex quo occatio, quæ hoc « efficit, nominata eſt: deinde tepefactum va- « pore, & complexu ſuo diffundit, & elicit « herbeſcentẽ ex eo viriditatem; quæ nixa fibris « ſtirpium ſenſim adoleſcit, culmoque erecta « geniculato, vaginis jam quaſi pubeſcens in- « cluditur; è quibus cum emerſit, fundit frugem « ſpicæ ordine ſtructam, & cõtrà avium mino- « rum morſus munitur vallo ariſtarum. Quid « ego vitium ſatus, ortus, incremẽta comme- « morem? ſatiari delectatione non poſſum: « ut meæ ſenectutis requietem oblectamen- « tumque noſcatis. Omitto enim vim ipſam « omnium, quæ generantur è terrâ, quæ ex fi- « ci tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut « ex cæterarum frugum, ac ſtirpium minutiſ- « *apud Tull. linm. l. de Senect. tute.*

» ſimis ſeminibus tantos truncos, ramoſq; pro-
» creat; malleoli, plantæ, ſarmenta viviradices,
» propagines nonne ea efficiunt, ut quēvis non
» ſine admiratione delectent ? Vitis quidem
» quæ naturâ caduca eſt, niſi fulta ſit, fertur ad
» terram : eadem utſe erigat, claviculis ſuis,
» quaſi manibus, quicquid eſt nacta, complec-
» titur: quam ſerpentem multiplici lapſu & er-
» ratico, ferro amputans coërcet ars agricola-
» rum, ne ſilveſcat ſarmentis, & in omneis
» parteis nimia fundatur. Itaque ineunte Ve-
» re, in iis, quæ relicta ſunt, exiſtit tanquam
» ad articulos ſarmentorum ea, quæ gemma
» dicitur; à quâ oriens uva ſe oſtendit; quæ
» & ſucco terræ, & calore Solis augeſcens, pri-
» mo eſt peracerba guſtatu, deinde maturata
» dulceſcit; veſtitaque pampinis nec modico
» tempore caret, & nimios ſolis defendit ar-
» dores : quâ quid poteſt eſſe cùm fructu læ-
» tius, tum aſpectu pulchrius ? cujus quidem
» non utilitas me ſolùm, ut ante dixi, ſed &
» cultura, & natura ipſa delectat; adminicu-
» lorum ordines, capitum conjugatio, religa-
» tio, & propagatio vitium, ſarmentorum-
» que ea, quàm dixi, aliorum amputatio, a-
» liorum immiſſio. Quid ego irrigationes,
» quid agri foſſiones, repaſtinationeſque pro-
» feram, quibus fit multo terra fœcundior ?
» quid de utilitate loquar ſtercorandi? Dixi in
» eo libro, quem de rebus ruſticis ſcripſi, de
» qua doctus Heſiodus ne verbum quidem fe-
» cit, cum de cultura agri ſcriberet. At Home-
» rus, qui multis, ut mihi videtur, ante ſæ-
» culis fuit*, Laëttem lenientem deſiderium,
» quod capiebat è filio, colentem agrum &
» eum ſtercorantem facit. Nec verò ſegetibus

ſolum, & pratis, & vineis, & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt, ſed hortis etiam atque pomariis, tum pecudum paſtu, apum examinibus, florum omnium varietate. Nec conſitiones modo delectant, ſed etiam inſitiones: quibus nihil invenit agricultura ſolertius.

IGNOSCES, humaniſſime Lector, ſi tam prolixam deliciarum vitæ ruſticæ deſcriptionem, hic perſecutus ſum, rapuit me quoties in hunc locum Ciceronis incidi, cum elegantiâ ſingulari eruditio in rebus Phyſicis minime vulgaris, quæ ſupra Oratorem meritò eſſe crederetur, ni ejus alibi tot dediſſet ſpecimina, Oratoremque perfectum, qui de quovis copiosè ornatéque poſſet dicere; in ſemetipſo exprimere voluiſſet; Atqui tamen in hoc ſemetipſum ſuperaſſe videtur. Si eâdem ſermonis venuſtate & elegantia artis Medicæ myſteria nobis tradidiſſet, vir ad eloquentiam natus, & eruditionem, Cornelio Celſo, ut multa debeamus; quemadmodùm & Galliæ noſtræ lumini Fernelio, minus tamen deberemus.

EXCELLENTIA demum & dignitas; cui, loquente eodem Catone, debeantur fortiſſimi viri, & Duces ſtrenuiſſimi. Hinc electi olim ad Reipublicæ Romanæ bonum & incolumitatem, electi in Conſules & Dictatores, qui terram ſcindebant vomere. *In agris*, inquit ibidem Tullius, *erant tunc Senatores; aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum eſt, eum Dictatorem eſſe factum, cujus Dictatoris juſſu Magiſter equitum C. Servilius Ahala SP. Melium regnum appetentem occupatum interemit; à villa in Senatum accerſebantur, & Curius, & cæteri ſenes*: Et Claudianus;

Sordida Serranus flexit Dictator aratra

Luſtrato lictore caſa, faſceſque ſalignis
Poſtibus affixi: collecta Conſule meſſes.
Et ſulcata diu trabeato rura colono.

Hi, ſi quando à negotiis publicis reſpirare licebat, ſtatim ad ruſticum redibant opus, qui inviti negotia tractaſſent publica, ni ſalus populi ſuprema lex fuiſſet. Nempè

Fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordib⁹ armis
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

In quem ſenſum Vates Lyricus.

Beatus ille qui procul negotiis,
Horat. *Vt priſca gens mortalium,*
Paterna rura bobus exercet ſuis
Solutus omni fœnore.
Nec excitatur claſſico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina.

Meritò ſane Juvenalis, optandæ quidem, ſed ſperandæ vix, quæ aliquando fuit, felicitatis amore pellectus, cæco ambitionis œſtro percitos ſuggillans:

Vivite contenti caſulis & collibus iſtis,
Sat. 14. *O pueri, Marſus dicebat, & Hernicus olim,*
Veſtinuſque ſenex; panem quæramus aratro:
Qui ſatis eſt menſis.

Ad agriculturam revocantur Vitium cura, hortorum atque ſylvarum: quâ ratione vero ſingulis feliciter exercendis operam navare quis queat, aperire noſtri non fuerit inſtituti, ut conſuli poſſint recentiores, præſto ſunt inter veteres Varro, Cato, Palladius, Columella, Conſtantinus Cæſar, &c.

DE

DE OFFICIARIA.

QUICQUID in orbe eſt ab authore conditum, id minùs ſibi, quàm alijs factum eſſe meritò exiſtimatur. Hinc officiorum, quæ ſibi mutuò homines exhibent, ut naturæ inſtituto votiſque maxima conſenſio, ſic & dignitas atque commendatio. Omnium, quęcunque ſunt in orbe ſublunari qualitatum quibus aliquam activitatem natura tribuit apparatus in gratiam mixtorum eſt corporum: his etiam effingendis ſuos cœli jugiter impertiuntur influxus, adeò ut irrequieto ferantur ſydera motu cieri, ut quæ in naturâ inferiori contingunt mutationes, & γενέσεις promoveant, *hinc ſol & homo generant hominem*, inquit Philoſophus, hunc propter ſemetipſum finxit Deus: *Feciſti nos Domine, ad te*, inquit S. Auguſt. cætera ut ſua voluerit eſſe, & propter ſemetipſum etiam elaboraverit, quę authoris majeſtatem potentiamque propalarent, uſibus etiam deſtinavit humanis: nec inferiora tantum, quę & alimoniam præberent homini, & adverſus Cæli inclementiam, ſævientiumque elementorum inſultus munirent, ſed & ſuperiora ipſa, ita ut & eoſdem voluerit homini cuſtodiendo regendoque operam collocare ſuam, quos aſſidentes ſibi, aulæque Cæleſtis incolas habet orbis Rex magnificus: quod attentius perpendens S. Auguſtinus: *Cælum, inquit, & terra clamant ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles*: clamant, ut te amem, ſcilicet quia meos in In Confeſſ.

uſus, mea in commoda elaborata, & authoris cum potentia ſummam in me, ut & omnes homines bonitatem aperiunt, & debitum grati memoriſque animi ſenſum expoſcunt. Jam ſi homini univerſa natura, etiam ſuperior, ſua ultrò præſtat officia; potiori jure homo erga hominem debet officioſus eſſe maximè: quid ita? ἅπας ἄνθρωπος οἰκεῖος ἀνθρώπῳ: homo homini, ut naturæ communione, ſic & mutuis ſtudijs officiiſque debet eſſe conjunctiſſimus. Ita fovebitur, quæ alioqui integra incolumiſque ſtare minimè poſſet, ſocietas, & debitus homini erga hominem amor adaugebitur.

Officia autem, quæ homini homo præſtat vel cum arte conjuncta ſunt, vel non: ſic abſque arte ſuam collocat operam bajulus: inter ea verò, quæ ab homine arte inſtructo proficiſcuntur, exhibenturque, aliqua inferiora ſunt, viliora, dicta mechanica, quæ ut corporis magis, quàm animi poſtulant robur, ſic & homines liberos minus decere videntur, qualia ſunt opera fabrilia: alia digniora, præſtantioraque, in quibus non tam corporis, quàm animi, ingeniique ad ardua excelſaque nati vis emicat. Nempè ut corpora omnium pari virium robore, ſic nec animos natura ſolers inſtruxit, ſed quibus corpus vegetum ac robuſtum conceſſit, iis ſæpius imbecillius dedit ingenium, quos è contra ingenij acumine præditos, horum debiles artus, & ad laborioſa opera impares eſſe voluit. Hac ratione nec ſpernunt, ablegantque à ſuâ ſocietate hebetes ingenioſi, nec ingenioſos quibus mens vivida, imbelle verò languidumque corpus premunt robuſtiores, ſed corporis of-

ficiis, præſtita ab ingenioſis animi penſant officia.

Animi officia liberalia dicta ſunt, ſeu quod hominum ſint liberorum, ſeu quod ex hominis parte oriuntur; quam liberam, ſuique juris natura voluit. Ut enim in magno orbe ſubduntur inferiora ſuperioribus, patiuntur à cæleſtibus ſublunaria, ſic & in paruo corpus animæ ſubijci debet; affectus vireſque corporis mentis ſolertiæ rationique mancipari: in magno orbe rex unicus eſto, etiam & in parvo; illi præſit Deus, huic mens & ratio.

Tribus autem maximè liberalia continentur officia, cuſtodiâ pacis, ſanitatis incolumitate, & mentis illuſtratione.

Utrumque prius benevolentiæ fuerit, charitatiſque laudabilis maximè, hoc naturæ beneficæ ſemper, & ad bonorum propagationem diffuſionemque proniſſimæ munus optatiſſimum. Scilicet ut acceptam à parentibus animam, quantum licet elaboratis miſſiſque ad naturæ armamentaria ſpiritibus; in prolem tranſmittere omne animalium nititur genus, ſic & eâdem providente naturâ, inſita eſt cuilibet bene cordato propagandæ eruditionis ſancta cupiditas, quâ caducam fortè alioqui, intermorituramque apud mortales immortalitati ſcientiam eruditionemque conſecrent. Hac ratione ſtudent ſibi, dum propriam quaſi ſubſtantiam animus, communicatâ eruditione, impertitur proli; cum cæterorum bono, alioqui, pacis intentus ſanitatiſque tutelę, ſit conſulturus.

Custodia pacis juriſprudentiæ eſt & ſcientiæ civilis; ſanitatis tutela artis medicæ;

aliorum eruditio, Didaſcalicæ.

Ac quidem quæ Juriſperiti erga alios conferunt officia, ut ſummæ neceſſitatis, ſic & præſtantiæ atque dignitatis; quid enim ſocietati, quid univerſo hominum generi neceſſarium magis, quàm honeſte vivere, alterum non lædere, jus unicuique, quod ſuum eſt, tribuere? atqui hoc totum Juriſprudentia ſibi vindicat. Superior quidem in Principe leges, quibus regantur ſubditi, condente: inferior in Magiſtratibus & Judicibus, unicuique, quod ſuum eſt, juxta leges reddentibus. Hac ratione tolluntur diſcordiæ, bella domeſtica, furiæ inteſtinę: ſcilicet inimici hominis domeſtici ejus, nihilque non cogit auri ſacra fames, & pax fovetur, atque tranquillitas. Certè quanti ad publicam felicitatem Juriſprudentiæ notitia & uſus eſſet momenti, agnovit Cato major, qui cum ſummam in animis omnium eloquentiæ ſibi famam peperiſſet, etiam annum agens 86. juri quam maximam potuit operam collocaſſe perhibetur. Nempè ut armis decoratur cum imperatoriâ majeſtate reſpublica, ſic & legibus armatur. Ars medica meritò à Medicorum, poſt terris datum Hyppocratem maximo τέχνη φιλανθρώπινη ars hominis amica vocitata: quæ ſi dignitate honoribuſve Juriſprudentiæ cedere multis viſa eſt, neceſſitate certe anteire omnibus jure meritò exiſtimata. In Juriſprudentiâ ut multa divina ſint prorſus, ut Princeps jus dicens ſubditis, magiſtratus diſſitos componens animos, imbelles à potentiorum iniquis conatibus fovens ac tutans, divinæ majeſtatis aliquam præ ſe ferre videatur imaginem: potiſſima tamen ejus origo, neceſſi-

Inſtit. l. 1.

Val. Max. l. 8. c. 7.

Inſtit. 1. Galen. l. quod idem ſit Medicus & Philoſophus.

taſque hominum debetur pravitati : inanis eſſet ſuppliciorum comminatio, inutiles pleræque juris Civilis leges (nam & aliqua etiam ab hominibus recti juſtique maximè tenacibus præcipienda obſervandaque fuiſſent ad ſocietatis bonum) ſi & virtutis ſtudio incumberent homines, ut decet, & ab alienis religiosè abſtinerent. Itaque ex hominum nequitiâ violata juſtitia: virtutem autem, ut penes quemque fuerit, exercere, ſic & nemo ex neceſſitate coactus vitio ſerviat. At integram ad extremum uſque ſenium ſervare ſanitatem, arcere morbos, cauſas tum externas, tum internas prohibere, prorſus homini negatum: quin & homo, inquiebat Democritus, quod & probat divinus Hippocrates, ὅλος φύσει νόσος totus à naturâ morbus.

Atqui nec ſua arti Medicæ, ſeu ex ſubjectâ materiâ, ſeu ex artificibus dignitas defuerit; nam & corporis humani, cujus incolumitati tota incumbit, ſumma excellentia, in quo quæcumque ſparſerat per univerſum orbem Deus quaſi concluſerit, & expreſſerit: & inter eos, qui ejus ſtudio exercitioque dediti fuere, multos Principes Regeſque, imò, & ut de ſe jactitât Hebræi à Raphaële curati, Angelos meritò poſſit annumerare. Certè ut divinum hocce munus (ita artem Medicam vocat Medicorum princeps: qui, loquente Macrobis, nec fallere poterat, nec falli) non exercuerint in Galliis noſtris ſeu Angeli, ſeu naſcendi conditione Reges, inter ſuos Academia noſtra Pariſienſis (ne hoc munere feliciter jam defungentium eruditam lædam modeſtiam) habuit ingenii acumine angelico præcellentes, & heroïco regios cor-

de, inter plures alios, Fernelios, Sylvios, Hollerios, Duretos, Riolanos, Comites, Pietræos, &c.

Munus denique Didaſcalicum, ut honorificum potiſſimâ ſui parte; omnium ſanè per arduum, laborioſum, ingratumque maximè pluribus viſum. Reverà

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Quæ autem tot laboribus rependitur merces?

Scire volunt omnes, mercedem ſolvere nemo,

Mercedem appellas? quid enim ſcio? culpa docentis

Juvenal. *Scilicet arguitur; quod læva in parte mamilla*

Nil ſalit Arcadico juveni.

Et dum paterfamilias deliciis voluptatique litaturus ſumptibus non parcet,

Seſtertia Quintiliano

Vt multùm duo ſufficient, res nulla minoris

Conſtabit patri quàm filius.

Quin & nonnullis, ſeu ob corruptos ſæculi mores, ſeu ob ſtudiorum, optimarumque litterarum contemptum ex torpore ſegnitieque, & impotentia plurium, qui inermes, nec ſuſtinendo tanto oneri pares ſuggeſtus conſcendere non erubuerunt vilius forte immeritò judicatum. Quicquid ſit, neceſſitatis tamen ſummæ & antiquâ ſapientiſſimorum Principum Legiſlatorumque commendatione fuit conſecratum; & meritò ſanè, quid enim in Republicâ optime gubernatâ, ad omnes artes diſciplinaſque juventutis inſtitutione optabilius, quid ſanctius, quid naturæ votis,

De divin. communique bono congruentius? *Nullum*,

-inquit Tullius, *munus Reipublicæ afferre maius meliuſve poſſumus, quam ſi doceamus, atque iuventutem erudiamus.*

Inter cuncta leges, & percontabere doctos, Horat.
Quâ ratione queas traducere leniter ævum.

Hinc tantam Concilia, Pontifices, Regeſque ſcholarum ſollicitudinem; curamque habuiſſe legimus: *Scholarum*, inquit Eugenius Papa, *de quibuſdam locis ad nos refertur, neque Magiſtros, neque curam inveniri pro ſtudio litterarum, idcircò in univerſis Epiſcopiis, ſubiectiſque urbibus, & aliis locis, in quibus neceſſitas occurrerit, omninò, cura & diligentia adhibeatur, ut Magiſtri & Doctores conſtituantur, qui ſtudium litterarum, liberaliumque artium dogmata aſſiduè doceant.* Et Carolus Magnus, cui Academiæ noſtræ natales tribuuntur: *Scholæ ſanè ad filios & miniſtros inſtruendos, ſicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promiſiſtis, & vobis iniunximus, in congruis locis, ubi nec dum perfectum eſt, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non negligantur.*

Conc. Trid. Seſſ. 5. c. 1.
Refertur c. de quibuſd. 73. diſt.
l. 2. capitul. cap. 5.

Hac tam nota præceptorum, qui imbuendis informandiſque juvenum animis operam collocarent ſuam, evidenteque in republicâ neceſſitate compulſi Reges noſtri Chriſtianiſſimi, atque inter eos Philippus Auguſtus, tot præmiis propoſitis, privilegiiſque, ac prærogativis, eruditos ex omni parte Luteriam pertraxerunt. Nempè meritò judicabant, quod tradiderat olim Simmachus: *Specimen eſſe florentis Reipublicæ, ubi diſciplinarum profeſſoribus præmia opulenta penderentur.* Eorum re-

giam excitabat munificentiam & liberalitatem, quod tam eleganter quàm cordate ſapienterque tradit Tullius, nempe *honore ali artes*, omnes gloria ad ſtudia incendi, jacereque ea ſemper quæ minus probari viderentur: At minus probari merito videntur Principibus quæ cum nota ſint regiâ munificentiâ non coronantur: Nempe *regale iudicium eſt pompa meritorum*, ait Rex bene cordatus apud Caſſiodorum. Quamquam ſi credamus Catoni Majori apud Tullium, nulli bonarum artium Magiſtri non beati putandi, quamvis conſenuerint vires atque defecerint. Quid ita? tot nanciſci debent vivas imagines ſui, quot habuere diſcipulos & auditores, tot qui labenti ſuccurrant ætati, tot qui vivum colant, mortuum venerentur.

Dii maiorum umbris tenuem & ſine pondere terram,
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco, metuens virga iam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus: & cui non tunc
Eliceret riſum Cytharedi cauda Magiſtri.

HANC ut aliqui ſeneſcente jam mundo ament ἀτιπελαργίαν, hunc grati memoriſque animi ſenſum ſervent, plures qui ut ſcientiam, ſic & ejus diſpenſatores frigidius excipiant, ne dicam odio habeant, invenire ſit. Sic

Horat. *Ætas parentum peior avis, tulit*
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

DE

DE
REI FAMILIARIS
CUSTODIA ET OPUM CONSERVATIONE ET INCREMENTO.

SI quam parentes curam acquirendis opibus adhibere debent, quibus liberorum commoda promoveant, ut capite ſuperiori oſtendimus, certe in partarum opum, quas mediocres voluerim, conſervandarum ſtudio potior debet eſſe ſollicitudo. Nempe

Haud minor eſt virtus quam quærere, parta tueri.

Ac quidem augendæ tuendæque rei familiaris ſtudium in parentibus haud ſegne voluerim. *Nec enim*, inquit Apoſtolus, *debent filii parentibus theſauriſare, ſed parentes filiis. Agamus*, inquit Seneca, *bonum patrem-familias, faciamus ampliora quæ accepimus, major iſta hæreditas à me ad poſteros tranſeat.* At nec ſana fuerit cupiditas iſthæc parentum, & innoxia niſi quæ moderata. *Adhibenda igitur*, inquit Tullius, *eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt; ſed ita ut illiberalitatis avaritiæque abſit ſuſpicio. Optimus*, inquit Seneca, *pecuniæ modus, qui nec in paupertatem cadit, nec procul à paupertate recedit*; Quod ſi ad patrem familias, qui ſuorum, quam ſui debet eſſe magis ſollicitus, traducatur,

Ep. 64.

2. Offic.

l. de tranq. animæ c.8.

tunc divitem exiſtimare arbitrarique ſe debebit temperans pater-familias, cum eas opes ſibi comparatas deprehendet, quibus nec ſorte beatiore intumeſcant filii, & luxurie ſegnique otio à paterna virtute deſciſcant, nec anguſtiore re familiari, inopiæ & egeſtatis incommodis ſint obnoxii: ut enim amicorum acquiſitio optabiliſſima ſit, tuiſque, ac, dum vita frui licebit, domus tuæ commodis opportuna maxime, ut forte etiam te tuis acerbiore fato erepto memorem ſervent amicitiæ ſenſum, quæ in tuos aliqua ratione derivetur, haud tamen ſi bene ſapis, quiſquis es cordate parens familias, haud ſperata ejuſmodi amicorum officia erga tuos, relicto ſufficienti pro ſorte tuorum atque conditione patrimonio prætuleris. Quam raræ enim amicitiæ iſtæ, quas nec mortis ſævities, nec fortunæ in altero iniquitas non diſſolvat!

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

At & tumulo ſuperſtes ſit amicitia integra, ergo-ne tuorum commoda ſuorum utilitati præponet? multum valeat amicitia, plus poterit natura.

Senec. in Hyppol.

O nimium potens; inquit Tragicus,
Quanto parentes ſanguinis vinclo tenes
Natura! quam te colimus inviti quoque!

Si te tuorum ſyncerus tangit amor, non expectabis ab aliis quæ præſtare poſſis ipſe officia, animum ſubibit perpetuo iſthæc cogitatio, quod ut ingrata omni vitæ tempore egeſtas & inopia, certe in ætate imbecilla ſit

pene intolerabilis: audire tibi videaris egentem filium apud Comicum.

Iam inde à pauxillo puero ridiculus fui; Plaut. in Stich. 1.
Eo quia paupertas fecit, ridiculus forem.

Hujusce ſollicitudinis monitum te voluit natura, dum uxoris tuæ ubera lacte turgentia voluit, tua inania & vacua: dum debile ipſi & ad acquirendas opes comparatum minus tribuit ingenium, tibi cum robore corporis mentis acumen conceſſit & judicii firmitatem. Uberibus ſcilicet infantem nutrire debet mater, tu ſtudio & induſtria ad robuſtam ætatem perducere: quî autem perduxeris, ſi laboribus tuis atque curis inſidiantis Lacheſis congeſtis ad familiæ tutelam opibus niſus non fruſtreris?

Hoc autem ut feliciter conſequare, inter plura alia, de aliquibus præcipue monitum te voluerim, ubi illud Poëtæ animo alte infixeris.

Vivitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſiquis cognoverit uti.

Ergo ſumma prudentiæ ſollicitudiniſque œconomicæ tribus maxime continetur.

Diligentia *patrisfamilias.*

Moderatione *cupiditatis.*

Recto *partarum opum uſu.*

Ac quidem diligentem præſtare ſeſe paterfamilias debet. *Expergiſci decet*, inquit Philoſophus, *prius dominum quam ſervum, & recumbere lecto poſterius, nec unquam abſque cuſtodia debet eſſe domus, quemadmodum nec urbs, nec diu, nec noctu; & ante lucem ſurgere, quod & ſanitatem, & ad curam rei familia-* G. Oecon.

ris, & ad ſtudium ſapientiæ prodeſt quam pluri-mum. Recte Comicus,

Vigilare decet hominem
Qui vult ſua tempore conficere negotia:
Nam qui dormiunt libenter, ſine lucro &
cum malo quieſcunt.

» QUICUMQUE, inquit Plato vivere & ſapere
» cupit: maxime quam longo poterit patietur-
» que ſanitas, tẽpore vigilet. Magiſtratus noctu vigilantes in urbibus hoſtibus terrori ſunt; & vigilans paterfamilias ſervorum torporem ſegnitiemque prohibet. Ut in exercitu ducis, ſic & in domo quandoque patris-familiæ præſentia fauſtiſſima: inſtans ſcilicet operibus facit, ut quiſque ſtrenuam conſtantioremque operam navet. Magnam, inquit Diodorus de Dionyſio loquens, qui etiam intereſſe operibus & diligentiam operariorum præſentiâ ſuâ, hortationeque excitare imperatoriam haud majeſtatem dedecere merito arbitrabatur:
» ſpectantibus admirationem movebat, quod
» certatim omnibus munus exequi demanda-
» tum erat: aderat quoque nunc his, nunc
» illis ad omnes per littus partes Dionyſius,
» ſtudiaque laborantium alios hortando, alios
» increpando adjuvabat, magna inſuper dona
» labore & operâ vincentibus proponebat,
» duplicia architectis, alia ſeorſim artificibus,
» tum rurſus operariis ac miniſtris alia; nec
» mora cuiquam, nec intermiſſio fiebat. Ipſe
» cum amicorum caterva ſingulos dies operi
» incumbere, omnia circumire, ſeſe laboran-
» tibus oſtendere, nonnunquam ſui miniſte-
» rio corporis in operam fatigatis ſuccedere:
» poſtremo imperii majeſtate ſepoſitâ inter
» opera verſari: nihil gravioris, nihil vulga-

ris miniſterii recuſare; tum laborioſa inter- «
dum ſubeundo, cæteros ad ſimilem toleran- «
tiam promptos reddere. Quare magna cer- «
tantium inter ſe ſtudiis cõtentione opus pro- «
vehebatur, nonnulli quoque laborem diur- »
num in partem noctis trahere; tanta ſtudii «
oſtendendi, ducendique operis ambitio mul- «
titudinem invaſerat, ita ſcilicet inflamman- «
tur gnavi, ignavis vero ſtimuli ſubduntur. «
Hinc Theodosius filio Honorio imperii commiſſurus habenas apud Claudianum, inter alia plura amoris paterni ſpecimina, chariſſimum filium hortatur imprimis, ut ſua præſentiâ, ſuoque maxime exemplo ad opera milites inflammet.

—Solabere partes
Æquali ſudore tuas, ſi collis iniquus,
Primus ini, ſylvam ſi cadere provocat uſus,
Ne pudeat ſumpta quercum ſtraviſſe bipenni:
Calcatur ſi pigra palus, tuus ante profundum
Pratentet ſonipes: fluvios tu protere curru,
Harentes glacie, liquidos tu ſcinde natatu
Nunc eques in medias equitum te conſere turmas,
Nunc pedes aſsiſtas pediti; tum promptius ibunt
Te ſocio, tum conſpicuus gratuſque geretur
Sub te teſte labor.

At nec fuerit ſatis tuorum animos ad

commune familiæ bonum exemplo excitaſſe tuo, ſi ſegnem minuſve attentum in aliis te præbueris, aut inutiles penitus erunt, aut noxiæ quandoque vigiliæ: nempe fœlices prorſus haud habeat exitus dimidia ſollicitudo. Ideo ne te pigeat Imperatorum maximi veſtigiis inſiſtere, quiſquis es prudens pater-familias. *Domeſticam*, inquit Hiſtoricus, *diſciplinam in parvis ac maioribus rebus diligenter adeo ſevereque rexit, ut piſtorem alium, quàm ſibi, panem convivis ſubjicientem compedibus vinxerit.* Sciebat nempe Magnus Imperator, egregiis ſeu in pace in bello facinoribus clarus, ſi quis alius, qui fortitudini ſuæ, animique infractæ virtuti imperium deberet, ſciebat quod ſenſerat olim Cato Major, non minorem imo majorem ſæpius eſſe laudem boni patris-familias, quam prudentis politici, ad

Tacit. c. 9. quod forte advertens in Agricolæ vita illuſtris Hiſtoricus, haud arduum minus eſſe domum ſuam coërcere quam Provinciam regere audacter pronunciavit. Ergo omnia in tabulas referet, ſaltem referri curabit, ut accepti, expenſique conſtet ratio: quod & apud Romanos invaluiſſe maxime accepimus; vicinorum ſibi conciliabit benevolentiam: hâc merito ad fortunandos cordati parentis familias ſucceſſus nihil potentius arbitrati ſunt ſapientiores. Laborant in corpore humano partes etiam principes, ex inferiorum male affectarum vicinia. Alia minutiora omitto, moderationi litaturus, ne cupiditatem plus æquo fovere videar.

Ergo ut in omnibus, ſic & in rei familiaris augendæ conſervandæque curâ moderatio adhibenda: contingit enim ſæpius, ut umbra-

tum æmulæ fugientem feliciter inſequantur opes, honores & dignitates; avidius perſequentem celerius effugiant. *Fortunam*, inquit Apuleius, *ut tunicam concinnam magis quam longam probo.* Hinc Horatius.

Perdidit arma, locum virtutis deſeruit qui
Semper in augenda feſtinat & fruitur re.

Qui naturæ paruerit, is mehercule modum ponet cupiditati, quæ & prudentis cujuſque ni frænum injiciat, mentem à ſua ſede dimoveat; conſilia fruſtretur etiam ſaniſſima, & perpetuis quos ſibi mancipavit cruciatibus torqueat: exanimentur facinoroſi ſuppliciorum metu: patietur animus cupiditati ſerviens mortem morte acerbiorem.

Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges; tunc omnia iure tenebis
Cum poteris Rex eſſe tui.

Mitius forte cupiditatis quæ in augendis opibus amplificandâve familiâ occupatur, fuerit jugum: At & ipſum excutere quivis debet ſapiens, quâcumque in conditione poſitus. *Divitiæ*, inquit Seneca, *apud ſapientem in ſervitio ſunt, apud ſtultum in imperio, ea quippe homines habendi cupido invaſit, ut poſſideri magis quam poſſidere videantur.*

Latius regnes avidum domando Horat.
Spiritum, quàm ſi Lybiam remotis
Gadibus jungas & uterque Pœnus
Serviat uni.
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Demum ad fortunandas patris-familias ſollicitudines nihil potius, quam ſi impenſarum exacta habeatur curatio, ut enim prudentiæ laudabilis maxime fuerit aliquas acquirere opes, partis certe bene uti longe majoris: nec enim niſi bonorum fuerit comparatis bene uti, comparare omnium, imo improborum ſępius, quorum conatus juvare fortuna cæcutiens ſolet.

Plaut. — *Provide ut quiſque fortuna utitur,*
Ita precellit, atque exinde ſapere eum
omnes dicimus.

Ac quidem ante omnia infixum habeat hoc ex Tullii Paradoxo ultimo: *Non eſſe cupidum pecunia eſt, non eſſe emacem vectigal eſt, contentum vero ſuis rebus eſſe, maxima certiſſimaque divitia. O Dii immortales*, inquit ibidem, *non intelligunt homines quam magnum vectigal ſit parſimonia.* Hæc elucefcet ſi & emantur tantum neceſſaria, & à ſuperfluis in ædificiis, ſupellectile, conviviis, veſtibus, & aliis ejuſmodi abſtineant. Pauca de ſingulis.

Primo: *Nimia familia bono nocet emacitas.* Vetus eſt effatum, nequam eſſe agricolam quiſquis emeret quod præſtare ei fundus poſſet. Apud Plinium Cato fructum hunc aiebat (Lib. 18.) eſſe maximum qui, quam minimo impendio conſtaret: conſtat autem magno, imo maximo, quod ſuperfluum.

Secundo: *In ædificiis moderatio debet enitere.* (Valer. Max. l. 8.) Sumptuoſa legibus Lycurgi apud Spartanos ædificia prohibebantur: & Populo Rom. judice M. Æmilius Porcinus gravi mulcta affectus quod ſuperbiorem villam ſeu domum ruſticam extruxiſſet. Felix proſperumque ro-

manæ reipublicæ tempus, quo

—caſa pugnaces Curios anguſta tenebat Claudian.

Et Lyricus Vates ex domus ſuæ anguſtijs gloriam aucupans

Non ebur neque aureum
Meâ renidet in domo lacunar;
Non trabes hymmetiæ
Premunt columnas ultimâ reciſas
Africa.

HAUD tamen ea prorſus laus placuerit, quam Cornelius Nepos Pomponio Attico tribuit, & Scipioni Africano Plutarchus, quod nihil in vitâ prorſus ædificarint. Suis, poſteriſque qui domos ſtruit, bene de Republicâ meritus ſemper à ſapientioribus creditus: quid ita? publico bono, naturæque votis hac ratione obtemperat, quo nihil laudabile magis: at in ædificando ait merito Tullius, ne extra modum ſumptu & magnificentiâ prodeas, quo in genere multum mali eſt. Adhibendus eſt modus ad mediocritatemque revocandus, eademque mediocritas ad uſum cultumque vitæ transferenda eſt.

TERTIO: Ut neceſſe ſit, ſeu ad vitæ tutelam & incolumitatem, ſeu etiam ad oblectationem, quâ, ſi non ſervatur, jucundior tamen fit uſura lucis, ſuppellectile aliqua inſtrui domum, omni tamen ſtudio ſuperfluâ abſtinendum. Habenda enim in omnibus, maxime vero in iis quæ ad domeſticum uſum pertinent, ratio utilitatis potius quam jucunditatis & oblectationis, cui ſiquis plus æquo ſtudere videatur, merito veræ virtutis expers molliorque exiſtimetur. Ideo ſenatu motus P. Cornelius quod erga aliqua argentea vaſa

(pauca noſtro ſæculo & , ut ita dicam, plebeia; quæ tunc nimia) addictior videretur. Recte Socrates apud Stobæum, *Vt generoſus non judicatur equus ex apparatu magnifico ſic nec Vir.* Hæc laus animo debetur & virtuti : unde Poëta:

Tunc melius tenuere fidem , cùm paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus.

QUARTO: *in conviviis :* ut enim non placeat prorſus *Periclis* opinio , qui apud Plutarchum convivia uſquam celebranda negabat , abſtinendum tamen omnino melius & familię commodius arbitremur quam in iis debitum non ſervare modum. *Parſimonia* (inquit Aulus Gellius) *apud veteres & victus atque cænarum tenuitas non domeſticâ ſolum obſervatione ac diſciplina , ſed publica quoque animadverſione , legumque quam plurium ſanctionibus cuſtodita eſt.* Subjungit mox quæ Senatus Romanus obſervanda in conviviis etiam à Principibus decrevit , quæ legi maluerim apud ipſum quam referre : ſcilicet tanta erat horumce temporum tamque commendanda frugalitas, cujus noſtra ætate vix ulla veſtigia. Revera vix abſque rixis , contumeliis, calumniiſque ea peraguntur convivia , quę honeſta frugalitate non temperantur.

Noct. att. l. c. 24.

Ageſilaus cum audiret que uidam, admirari, cur rex, cum cæteris Lacedæmoniis, tam frugali cibo & veſtitu uteretur. *Optimā meſſem metimus,* inquit, *libertatem, quæ ſine frugalitate eſſe nequaquam poteſt. Plut. in Apopht.*

DENIQUE *ſtudioſi patris-familias prudentia & moderatio in veſtibus elucet ;* ut enim ſordities non deceat, ſic & prohibendus à ſuis luxus. *Video* , inquit Seneca , *uniones non ſingulos ſingulorum auribus comparatos , jam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt : junguntur inter ſe , & inſuper alij binis ſuperponuntur: non ſatis muliebris inſania viros ſubje-*

l. 7. de beneficiis c. 9.

ſerat, niſi bina aeterna patrimonia auribus ſingulis pependiſſent. Pergit. *Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt quo deffendi aut corpus aut denique pudor poſſit, quibus ſumptis mulier parum liquido nudam ſe non eſſe iurabit.* Certe quam multa familiæ bono noxia inaneſque fiant in eiuſmodi veſtium, quæ mollitiem ſpirant & luxum apparatu, nemo non videat. Ornatus is verus eſt qui ex probitate proficiſcitur, nec tam veſtium quam virtutis ſplendor, etiam in principibus viris ſubditorum perſtringit oculos. Ideo Tacitus Imperator factus apud Vopiſcum, togis & tunicis iiſdem uſus eſt, quibus induebatur privatus. Mitto quæ nimia emergunt ex hacce veſtium pompâ, ex molliore ornatu pericula; iis ut detrimentum familia, ſic & pudor caſtitaſque patiuntur.

Atque hæc ſunt generalia capita amoris paterni in filios: ſingula enim ſi accuratius proſequar, vix dicendi præcipiendive finem ſim nacturus in materiâ, ſiquæ alia, ampliſſimâ. Unum tamen addere lubet quod ſilere nefas, noſtris præſertim temporibus, ubi hæreditariâ rapacitate multi magis quærentes quæ ſua ſunt quam quæ Chriſti, familiarum bonis avidius inhiant: Scilicet eam ſciant adhibendam à ſe patres-familias in partarum opum conſervatione, uſuve ſollicitudinem quæ minime vulgaris ſit, quâve poſt rectam filiorum inſtitutionem nulla major. Debent ut diximus liberis educationem: at & quas ſeu hæreditate ſeu ſtudio partas habent opes ſic debent filiis, ut horum detrimento etiam Eccleſiæ benefacere grande piaculum. Audiant famelici illi ſuſurrones, Eryſictonia auri

Conſideret quia & uſu humano hæreditatis pecuniariæ gratia facit, ut venerabiliora fiant iura pietatis: quia hoc quoque plus defertur parentibus ne læſa pietas patris ulciſcatur ſe exhæredatione vel abdicatione contumacis pignoris. *S. Ambroſ. l.4.Epiſt.28*

rapiundi fame laborantes; audiant Eryſictones illi, qui conſcientiam ſuam ſeu filiam varias ſubinde figuras induentem divendunt, audiant perſonatæ ſapientiæ, paupertatis, humilitatiſque profeſſores, errabundi, currentes & gyrovagi: audiant S. Auguſtinum ſermone 52. ad fratres de eremo: *Quicumque*, inquit, *vult exheredato filio hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum qui ſuſcipiat, non* AUGUSTINUM, *imo Deo propitio nullum inveniet.* Ibidem laudatur factum AURELII Carthaginenſis Epiſcopi, qui legatam hæreditatem Eccleſiæ ſuæ ab homine filios non habente, reſtituit ſtatim, ubi ſanctos conjugalis amoris niſus prole conceſsâ fortunavit Deus. Sic pergit; *Quam laudabile factum ſancti & venerandi Epiſcopi Aurelij Carthaginenſis quomodo implevit os omnium: quidam enim cum filios non haberet, nec ſperaret, res omnes ſuas retento ſibi uſu fructu donavit Eccleſiæ; nati ſunt ei filij poſtea & reddidit Epiſcopus, nec etiam opinanti illi, quæ donaverat.* Annotent quæ ſubjungit, neceſſitatis dixerim, certe melius avaritiæ intolerabilis, iniquitatiſque ſophiſticæ; *In poteſtate*, inquit magnus AUGUSTINUS, *habebat Epiſcopus non reddere, ſed jure fori non iure cæli.* Hæc viderint qui cum ſæculo renunciarint, jus cæli jure fori ſic metiuntur & æſtimant, ut importunis, quæſtuoſiſque nimium litibus, quibus nihil frequentius excitandis, omnem fere ingenij ſui, quod in cælis verſari melius, aciem, gemente cum orphanis viduâ, cui apud Judices ex imbecillitate ſexus, conditioneque ac ſorte infelici, minor eum induſtriâ authoritas, adhibere non erubeſcunt.

Tom. 10. & Concil. aquiſgrau. c. 112. Refertur c. quicumque 2. p. decreti cauſa 17. q. 4.

OFFICIA LIBERORUM.

SApienter & cordate Aulus Gellius inſanem aliquorum è Græcis ſententiam vocat, qui parentibus debitum negabant obſequium. Quid enim naturæ conſentaneum magis, quam eorum voluntati noſtram ſubjicere, quibus cum vitâ libertatem debeamus? Peſſima fuerit damnoſaque maxime libertas iſthæc quæ in ſuum authorem ſuas exerat vires, nec ſapientis naturæ ſanctum ſequatur impetum, qui acceptas à parentibus cum vita facultates, eorum obſequio memori animo non conſecret: ut ſcilicet ingrati animi labes fœda ſemper, in parentes fœdiſſima, quam ut arceret certius à Lacedemoniorum, ſi qui ſic prave affecti immemoreſque beneficiorum occurrerent, animis Lycurgus, penes patres eſſe voluit quoſcumque liberet inſtituere hæredes, ut ea ratione hæreditatis amittendæ metus cohiberet in officio quos filialis amor pietaſque non tangeret. *Conſideres*, inquit S. Ambros. jam laudatus *quia & uſu humano hæreditatis pecuniaria gratia facit ut venerabiliora fiant iura pietatis: quia hoc quoque plus defertur parentibus ne læſa pietas patris ulciſcatur ſe exhæredatione vel abdicatione contumacis pignoris* Obsequiosa autem grataque filiorum erga parentes officia amoris ſynceri teſtificatione ubicumque offert ſeſe occaſio, obedientia, reverentiaque continentur, quæ ut natura jubet, ſic humana divinaque paſſim mandat authoritas. Noct. attic. l. 2. cap. 7.

HUMANA : quid enim in jure frequentius quam liberos parentibus cum obſequio neceſſaria quoque adiumenta debere? *Filia tua*,
Cod.l.8. tit. 47. inquiunt Imperatores DIOCLETIANUS ET DOMITIANUS, *non ſolum reverentiam, ſed & ſubſidium vitæ ut exhibeat tibi, Rectoris provinciæ authoritate compelletur.* Quin & ULPIANUS *tantum eſſe tamque reciprocum filiorum & parentum amorem ſignificat, ut & pater filios etiam*
D.l.25. l. ſi quis 5. ſed utrum, *mancipatos, & qui non ſunt amplius ſub ſuâ poteſtate, ubi poteſt ipſe & hi hanc paternam expectant opem ad paranda neceſſaria ſibi impotentes; & viciſsim filii & quidem potiori iure, parentes non modo, ſed & avos proavoſve ſeu paternos ſeu maternos, ubi pariter in eo ſtatu conſtituti ſunt, in quo de neceſſariis ad vitam tuendam fovendamque incolumem ſibi non poſſint providere, alere teneantur, iureque compelli poſſint. Iſdem* ULPIANUS, *etiam militibus pietatis ratio in parentes conſtare debet : quare ſi filius miles in patrem aliqua commiſit, pro modo delicti puniendus eſt :* nempe, ut multa militiæ privilegia conceſſa ſint, multæ dotes & prærogativæ, militia non diſſolvit ea quæ juris ſunt naturalis inquit commentator D. GOTHFREDUS. Et ibidem : *Si filius matrem aut patrem quos venerari oportet contumeliis afficit, vel impias manus ei infert : Præfectus urbi delictum ad publicam pietatem pertinens pro modo*
D.l.37. tit. 15. *eius vindicat. Denique indignus militia iudicandus eſt qui patrem & matrem à quibus ſe educatum dixerit, maleficos appellaverit;* quo maxime patet quanti intereſſe exiſtimet Reipublicæ Juriſconſultus ut debitus honos parentibus exhibeatur. Quid enim? eget reipublicæ
Ibid. 9. 3. corpus militibus quibus veluti nervis robora-

tum & hoſtiles propulſet impetus, & ſe amplius diffundat: Rejicit tamen eos, nec albo ſuorum conſcribi patitur, qui non ſatis reverenter parentes exceperint. Et merito ſane: vix enim pium gerat in parentem patriam animum, qui adverſus parentes impius. Ergo ut habet iſdem Ulpianus, *filio honeſta ſemper ſanctaque perſona patris eſſe debet.* Ib. Tit. 9.

Quod ſi piis naturę in repetendo à filiis debito parentibus cultu votis, humana acceſſit authoritas, ea certe longius promovet firmatque divina. Quanto enim ſtudio Spiritus ſanctus ſummum in filiorum cordibus erga parentes amorem excitare paſſim in Scripturis, ſeu veteris, ſeu novi Teſtamenti nititur? *Audi*, inquit apud Sapientem, *patrem tuum qui te genuit & ne contemnas cum ſenuerit mater tua.* Proverb. Alibi, *Fili*, inquit, *ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da & ne ſpernas eum in tua virtute: eleemoſina enim patris non erit in oblivione.* Et poſt: *Sicut in ſereno glacies ſolventur peccata tua*; quid dici potuit, promittive optabilius? Ad quod advertens D. Ambrosius: Tunc, inquit, filii Deum poſſunt habere propitium ſi debitam honorificentiam rependant parentibus. Ideo pius ſenex Tobias animam redditurus authori, filium ſic amice paternique affectus ſingulari teſtificatione affatur: *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi fundamentum conſtitue, cum acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli, & honorem habebis matri tuæ in omnibus diebus eius: memor enim eſſe debes quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo: cum autem & ipſa compleverit tempus vitæ ſuæ, ſepelies eam circa me.* Supr. Ep. ad Coloſſ. c. 3. Tob. 4.

Alia pene innumera Scripturæ loca, quibus filiorum erga parentes mandat Deus obſequium, ſileo. Hoc unum addere jam lubeat: Deuteron. *Honora patrem tuum & matrem, ſicut præcipit tibi Dominus, ut longo vivas tempore & bene ſit tibi in terrâ quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi:* in quod mandatum Dei iteratum, & repetitum ab Apoſtolo, reflectens illuſtris ecclesiæ Mediolanenſis Antiſtes; Exod. 20. Eph. 6. *Lex datur filiis,* inquit, *ut quia parentibus authoribus conſtant, obediant eis: iuſtum eſt enim ut reverentiam exhibeant eis per quos ſunt. Bene ergo*, inquit alibi, *quia lex iuſſerat diliges dominum Deum tuum & diliges proximum tuum ſubjici: Honora patrem tuum, & matrem tuam: primus enim iſte gradus pietatis eſt; namque hos authores tibi eſſe voluit Deus, honora obſequiis ut abſtineas à contumeliis, quia ne vultu quidem lædenda eſt pietas parentum.*

Atqui & iſthæc juſta in charos vitæ authores pietas, non tantum ab omni injuria parentibus inferendâ filios ſui memores avocet, ſed & omne ſubſidij officiique genus à filiis expoſcat.

Parum *eſt*, pergit S. Doctor, *non lædere quia lex proſpexit ne patiantur iniuriam: qui enim maledixerit patri vel matri, morte morietur, tu honora ut bonus ſis. Aliud eſt legis beneficium, aliud pietatis officium: Honora tuos, quia ſuos filius Dei honoravit; legiſti enim: & erat ſubditus illis: ſi Deus ſervulis, quemadmodum tu parentibus? Honorabat igitur Ioſeph & Mariam Chriſtus, non naturæ debito ſed pietatis officio: honorabat & patrem Deum, quantum nemo potuit honorare, ut eſſet obediens uſque ad mortem. Honora ergo & tu parentes; eſt autem honor non*

ſolum honorificentia ſed etiam largitatis. Et paulo poſt, *Paſce patrem tuum, paſce matrem tuam, & ſi paveris matrem tuam, adhuc non reddidiſti dolores, non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt: non reddidiſti obſequia, quibus te illa geſtavit: non reddidiſti alimenta quæ tribuit tenero pietatis affectu immulgens labris tuis ubera: non reddidiſti famem quam pro te illa toleravit, ne quid quod tibi noxium eſſet ederet, ne quid quod lacti noceret hauriret: tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa quem voluit cibum non accepit, tibi quem noluit cibum ſumpſit, tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam egere pateris? O fili quantum tibi ſumis iudicium, ſi non paſcas parentem?* ILLI DEBES QUOD HABES CUI DEBES QUOD ES. Idem exemplum CHRISTI ſuis parentibus ſubditi urget S. Doctor lib. 2. in Lucam: Cujus verba hic ſi ſubjungam, nemini niſi minus bene affecto, & ad exquiſitiſſima quæque ſuaviſſimaque nauſeabundo diſplicuerim, tot enim ut gratias habeat ubique mellitiſſimi doctoris oratio cum ſententiarum gravitate & copiâ, hic ſane ubi debitum parentibus cultum urget, novas cum pietate ſingulari veneres exhibere videtur. Miramur, « inquit, ſi patri defert qui ſubditur Matri? non « utique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubjec- « tio eſt: attollat licet ſævis emiſſus latebris « coluber perfidiæ caput & ſerpentinis evomat « venena pectoribus; cum dicit ſe Filius miſ- « ſum, majorem hæreticus appellet Patrem ut « imperfectum Filium dicat, qui poteſt habe- « re majorem, ut alienis auxiliis afferat eum « qui mittitur indigere: nunquid & humano « egebat auxilio ut materno ſerviret impe- « rio? deferebat homini, deferebat ancillæ (ip- «

Cap. 3. In hac verba erat ſubditus illis.

» ſa enim dicit: Ecce ancilla domini) deferebat
» ſimulato patri, & mireris ſi Deo detulit? an
» homini deferre pietas eſt, Deo deferre infir-
» mitas eſt? Vel ex humanis divina perpende,
» & quid honoris patri debeamus, agnoſce:
» Pater honorificat Filium, non vis ut Filius
» honorificet Patrem? Pater voce cæleſti in Fi-
» lio ſe complacere profitetur; non vis ut Fi-
» lius humanæ carnis indutus amictu cum hu-
» mana voce, humano loquatur affectu, Pa-
» trem dicat eſſe majorem? Et poſt: Diſce po-
» tius tuæ utilitatis præcepta, & exempla pie-
» tatis agnoſce: diſce quid parentibus tuis de-
» beas, cum legis à Patre Filium non volunta-
» te, non opere, non tempore diſcrepare. Et
» paulo poſt: Tu matri debes pudoris inju-
» riam, virginitatis diſpendium, partus peri-
» culum, matri longa faſtidia, matri longa
» diſcrimina, cui miſerę in ipſis votorum fruc-
» tibus majus periculum eſt: & cum ediderit
» quod optavit, partu abſolvitur, non timore.
» Quid anxios patres loquar pro filiorum pro-
» fectu, & multiplicatos alienis uſibus ſenſus,
» jactaque poſteriorum ætatibus profutura?
» nonne pro his obſequia ſaltem oportet re-
» pendi? cur impio patris vita prolixior &
» communitas patrimonii videtur anguſtior,
» cum Chriſtus non refugiat cohæredes?

Ergo & filiorum in parentes pietas & naturæ continetur legibus, & humana divinaque authoritate firmatur. Et merito ſane ut patet: nec enim piget repetere illuſtre S. Ambroſij » præceptum: illis debes quod habes, quibus » debes quod es: ergo parentum ſubſidio & quas accepiſti naſcendo vires atque facultates, & quas tibi peperiſti proprio labore, debes

impendere : ideo pius ÆNEAS apud Maronem de optimi parentis incolumitate ſollicitus ;

Eia age chare pater, cervici imponere noſtra :
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit.
Quo res cumque cadent, unum & commune periclum,
Vna ſalus ambobus erit

PARENTIBUS, inquit Tullius, *nos primum natura conciliat.*

Et

Quiſquis in vita ſua parentes colit
Hic & vivus & defunctus Diis charus eſt Euripid.

HINC maternis ceſſit lachrimis, qui gementi ſupplicantique per legatos atque ſacerdotes patriæ non ceſſerat: Faſtidioſus ille, inquit « Valerius Maximus, in æſtimandis bonis « ſuis populus (ſcilicet Romanus) qui reo non « lib.5.cap.4 pepercerat (Coriolano) exuli eſt coactus « ſupplicare; miſſi ad eum deprecandum le- « gati, nihil profecerunt; miſſi deinde ſacer- « dotes cum infulis, æque ſine effectu redie- « runt. Stupebat Senatus, trepidabat populus, « viri pariter ac mulieres exitium imminens « lamentabantur. Tunc VETURIA Coriolani « mater, VOLUMNIAM uxorem ejus & liberos « ſecum trahens caſtra Volſcorum petiit : « quam ubi filius aſpexit, EXPUGNASTI, in- « quit, ET VICISCI IRAM MEAM PATRIA, PRE- « CIBUS EIUS ADMOTIS, CUIUS UTERO TE QUAM- « UIS MIHI MERITO INVISAM DONO ; conti- « nuoque romanum agrum hoſtilibus armis « liberavit : Ergo pectus dolore acceptæ inju- « riæ, ſpe potiundæ victoriæ, verecundia de- « trectandi miniſterij, metu mortis refertum, «

» totum ſibi pietas vacuefecit, uniuſque pa-
» rentis aſpectus bellum atrox ſalutari pace
« mutavit. Hinc tot laudibus evecta Africani ſuperioris virtus, qui ſaucium parentem & Conſulem cum Annibale infauſtis avibus manus conſerentem ſuo diſcrimine liberavit; æquum erat ſcilicet, ut ei ſervaret vitam, à quo acceperat. Quod & in Manlio adoleſcente patrem ab accuſatione Pomponij Tribuni plebis vindicante laudat antiquitas. Ex innumeris propemodum quæ alibi commodius legi poſſunt exemplis duo ſeligo, quibus haud ſcio an aliquid poſſit ad excitandum grati memoriſque animi ſenſum, ad pietatis filialis commendationem afferri potentius.

Prius ex hiſtoria Romana deſumptum tra-
« dit iſdem Valerius Maximus. Sanguinis, in-
» quit, ingenui mulierem Prætor apud tri-
» bunal ſuum capitali crimine damnatam,
» Triumviro in carcere necandam tradidit,
» quo receptam, is qui cuſtodiæ præerat, mi-
» ſericordiâ motus non protinus ſtrangulavit,
» aditum quoque ad eam filiæ, ſed diligenter
» excuſſæ, ne quid ſibi inferret dedit: exiſti-
» mans futurum ut inediâ conſumeretur. Cum
» autem jam dies plures intercederent, ſecum
» ipſe quærens, quidnam eſſet quo tamdiu
» ſuſtentaretur, curioſius obſervata filia ani-
» madvertit illam exerto ubere famem matris
» lactis ſui ſubſidio lenientem. Quæ tam ad-
» mirabilis ſpectaculi novitas ab ipſo ad Triū-
» virum, à Triumviro ad Prætorem, à Præto-
» re ad Judicum concilium perlata, remiſſio-
» nem pœnæ mulieri impetravit. Quo non
» penetrat, aut quid non excogitat pietas, quæ
» in carcere ſervandæ genitricis novam rationē

invenit? quid enim tam inuſitatum, quid «
tam inauditum, quam matrem natæ uberi- «
bus alitam? Putaret aliquis hoc contra re- «
rum naturam factum, niſi diligere parentes «
prima naturæ lex eſſet. «

Alterum ex hiſtoria Toletanâ petitum, morientem pro patre filium exhibet: matrem ſervavit filia lacte, hic fuſâ cum ſanguine vitâ parentem. Multos videre fuit qui vitam in diſcrimen afferrent pro ſalute parentum, qui ultro ſubirent mortem, vix aliqui. Atqui tamen id præſtitit generoſa cujuſdam Toletani pietas. Unicus is erat patri aurifabro filius, iniquis ſuſpicionibus exagitatus pater damnatur ad patibulum, acceptam chariſſimo patri vitam memor reddit filius dum incolumi patre, annuente magiſtratu ipſe lethiferam tortoris ſuſtinet manum. Hic Lector quiſquis fueris ſi ad juſtam pietatem non moveris,

Natus es è ſcopulis, nutritus lacte ferino:
Et dicam ſilices pectus habere tuum.

OFFICIA DOMINORUM ET SERVORUM.

Ut natura filios peculiari nexu parentibus conjunxit, ſic & fortuna ſervos dominis: ergo horum etiam mutua ad invicem officia, quæ paucis perſtringo, pleraque enim herilia ſupra tetigimus, ubi de patrisfamilias diligentia, atque ſtudio actum eſt; quorum pars fere præcipua in ſervorum ad opera domeſtica vi-

ſa maxime, ideo juſſa domini prompte, alacriter ac fideliter exequatur.

Fidum oportet eſſe miniſtrum, Euripid.
Et talis cum ſit, res heriles amare.

Fidelitas ſervorum opere continetur & taciturnitate ac ſilentio.

Opere: nam ſervi non fuerit proprio cerebro, vel interpretari juſſa heri, vel etiam examinare: *Servo*, inquit Curtius, *utilius eſt parere dicto quam afferre conſilium.* Curtius.

Silentio; nam in quovis homine, quod antiquus aiebat Philoſophus, lingua optimum quid & peſſimum, in ſervo ſane ubi infida eſt, ubi garrula, execrabilis

—lingua mali pars peſſima ſervi. Iuvenal.

Recte Comicus.

— hominem ſervum ſuos
Domitos oportet habere oculos & manus Plaut.
Orationemque.

Apud eumdem Epidicus ſervus confabulans cum altero ſervo, cum forte præcipite nimis mentemque præveniente lingua aperiturus eſſet quis ille à quo cum armis perditus eſſet.

Sed taceam optumum eſt, plus ſcire ſatius
eſt quam loqui
Servum hominem, ea ſapientia eſt.

Arcte cogitatione complecti debet, & pectore quæ nota ſibi voluit dominus: ejus ubicumque occaſio ſeſe præbet, votis ſervire. Prudenter apud eumdem Comicum Sagariſtio ſervus:

Qui heroſuo ſervire vult, bene ſervit ſervitutem
Næ ædepol illum multa in pectore ſuo collocare oportet,

In herum matura, in ſe ſera condecet capeſcere:
Sin dormitet, ita dormitet ſervum ſeſe ut cogitet.

Et poſt.

Herile imperium ediſcat, ut quos frons velit oculi ſciant,
Quod iubeat citis gradigis citius properet perſequi
Qui ea curabit, abſtinebit cenſione bubula
Nec ſua opera rediget uſquam in ſplendorem compedes.

Et Harpax in Pſeudolo.

Malus & nequam eſt homo qui nihili imperium
Sui ſervus facit, nihili eſt autem ſuum
Qui officium facere immemor eſt admonitus.

OFFICIA HERI.

HACTENUS ſervi fidelis imaginem adumbravimus, nunc quem præſtare ſe debeat bonus pater-familias erga ſervos, paucis aperio.

VULGATUM eſt Philoſophi: τριῶν δεῖται ὁ δοῦλος, ἔργου, κολάσεως, καὶ τροφῆς: *Tribus eget ſervus: opere, caſtigatione & cibo.* Ergo heri fuerit & ſervum non pati otioſum, & pro dominio quod habet in ipſum pœnas erratorum, quamvis ſuaviter, ut dicam, repetere, & neceſſaria ad vitam, quibus veſtitum, cum præmiis laborum intelligi voluerim, ſubminiſtrare. 1 Oecon. 5.

Arcebit itaque prudens herus ſegne à ſervis otium : ut enim hoc nemini non noxium, in ſervis ſane quam maxime : quid ita? pigritando & otiando laborare dediſcunt; at ſervus eſt ad laborem. Dominus, inquit Ariſtoteles, non in poſſeſſione, ſed in uſu ſervorum cernitur : hinc quia minus occupati,

1. Polit. 7.

Doctorum famuli ſunt omni tempore tardi:
Sudant quando vorant, frigeſcunt, quando laborant.

Quid ſi mala iniquaque verſant ſępius conſilia, quæ naſcens ex hocce turpi otio cupiditas, & libido malę excitant? Atque ideo etiam ſatius fuerit ſuperflua imperare ſervis, quam pati otioſos. Hinc Heliogabalus libertorum ſuorum otia merito veritus, vanis inutilibuſque volebat occupatos: imperabat, ut hic colligeret undecim millia muſcarum, ille aranearum, ut his operis quamvis inanibus intenti, ab iis moliendis abſtinerent, à quibus non abſtinebant alii liberti, qui aliò non vocati, patronorum negotiis ſeſe immiſcebant. Sic Pamphylus adoleſcens apud Comicum, cum ſua Soſtrata familiarius collocuturus Parmenonem ſervum ſuum cum fictis mandatis ablegat, renuentem licet, ne ut erat curioſus nimis & garrulus, arcana domini reſciret aut retegeret.

At ut labores exiget prudens dominus à ſervis, ſic & eos ad ſuam alacrius collocandam operam certâ mercede pelliciet, quam victu, ut aiunt, etiam & veſtitu paulo velim pro officiorum varietate ampliorem. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit,* inquit Spiritus ſanctus, *ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii*

Tob. 1.

tui omnino apud te non remaneat. Quid ita? *Mercedem qui ſubſtrahit mercenario, ſanguinem effundit*, inquit Sapiens. *Domini*, inquit Apoſtolus, *quod iuſtum eſt & æquum ſervis præſtate, ſcientes quod & vos Dominum in cœlis habetis.* Quam turpe quod nonnullis familiare admodum, qui dolo & vafris artibus quæ perſolverint dederintve, ſubinde ſurripiunt! Ejuſmodi tam ſordidas quam iniquas ingratorum nimis herorum technas belle ſuggillat illuſtris Comicus apud quem Davus Getæ popularis ſui heræ Antiphonis uxori cupiditati litantis, infœlici ſorte condolens; Coloſſ. 4. Terent. in Phormione act. 1. Scen. 1.

Amicus ſummus meus & popularis Geta
Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
Iam pridem apud me reliquum pauxillum
Nummorum: id ut conficerem. Confeci: offero.
Nam herilem filium eius duxiſſe audio
Vxorem: ei credo munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum eſt, ii qui minus habent
Vt ſemper aliquid addant divitioribus!
Quod ille unciatim vix de menſo de ſuo,
Suum defraudans genium conſperſit miſer:
In illa univerſum abripiet, haud exiſtimans
Quanto labore partum, Porro autem Geta
Ferietur alio munere ubi hera pepererit.

Certe parcior herorum agendi ratio erga ſervos, ut ſegniores ad opera domeſtica facit, ſic & plurium facinorum parens. Hinc Comicus.

De miſeris caſibus ex dominorũ imprudentia enatis. Bodin l. 1. Pol. c. 4.

Inique domini ſervis utuntur ſuis,
Et ſervi inique dominis nunc parent ſuis.
Penum, popinas, cellas promptuarias
Occludunt mille clavibus parci ſenes;
Sed vi furaces, verſipelles, callidi
Occluſa mille clavibus ſibi reſerant
Furtumque raptant, conſumunt, liguriunt.

Mitis demum heri fuerit & tẽperata ſeveritas, nec enim exuere debet hominem, quem ſupra hominem ſola fortuna conſtituit: atqui ſervus ſola ſorte naſcendique conditione hero inferior. Inanis eſt ſuique impotens, qui vanâ nobilitatis, ideſt alienæ virtutis opinione intumeſcit. *Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus*, ait Seneca, *nemo in noſtram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit noſtrum eſt, animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione ſupra fortunam licet ſurgere*, dixerat ſupra acute illuſtris Stoïcus ex mente Platonis. *Nemo Rex non ex ſervis oriundus, nemo non ſervus ex regibus: omnia iſta longa varietas miſcuit; & ſurſum deorſum fortuna verſavit.* Sublata jam pridem immanis dominorum in ſervos authoritas, quâ abuſi leguntur nonnulli, convivarum ſuorum oblectationi fuſo ante menſam ſervili ſanguine innocuo litaſſe. De ſe ſane

Durum, inviſum, grave eſt
Servitia ferre.

Cod. l. 8. tit. 47.

Ideo & jure antiquo, quibus datum jus vitæ & necis iis negatum in libertatem: ergo vitâ ipſâ potior viſa libertas: *Libertati*, inquit Imperator Conſtantinus, *à majoribus tantum impenſum eſt, ut patribus quibus ius vitæ in liberos neciſque erat permiſſa, libertatem eripere non liceret.* Bene Poëta.

Non bene pro toto libertas venditur auro. Horat.

Herorum erga ſervos, ſi quem præcipit Seneca amor viget, fortunatiſſima ſervitus. Hunc quidem prorſus qualem Epiſtola 47. Senec. ep. 47. Lucilio gratulatur, agendi modum non probaverimus, at facilius ad ſævitiem & immanitatem, quam beneficentiam, clementiam ac benignitatem nimiam, deflectat herorum animus: Ita male comparati ſumus: Ergo quod nihil & opportunum magis & cordatum ſcribere queam ſi modus adhibeatur, Senecam fauſtius audite tota hacce Epiſtola, quam, ut dixi, in omnibus gratam haud omnino habuerimus, nam vix admittendos ex ſapientiorum, quos edocuit experientia, conſilio ad familiares congreſſus, ad menſam, & quæ majoris ſunt momenti negotia, ſervos, niſi raræ exploratiſſimæque cum prudentiâ fidei arbitremur. Hi nimirum vulgo, ſi qui alij,

Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri. Iuvenal.

Itaque ſic herilem Lucilij animum demulcet, & ad omnia benignitatis humanitatiſque officia aſperiorem agendi rationem dominorum, & delicatiorum carpens, dicta Epiſtolá ſic excitat. Exſcribere nobis placeat, qui exſcribendo nemini ingrati eſſe poſſimus niſi queis nauſeabit ejus lectio. Atque hi, ne dicam amplius, vix ſui compotes.

Libenter ex his qui à te veniunt cognovi, familiariter te cum ſervis tuis vivere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Servi ſunt? imo homines. Servi ſunt? imo contubernales. Servi ſunt? imo humiles amici: Servi ſunt? imo conſervi, ſi cogitaveris tantumdem in utroſque, tantumdem

» licere fortunæ; itaque rideo iſtos, qui turpe
» exiſtimant cum ſervo ſuo cœnare. Quare?
» niſi quia ſuperbiſſima conſuetudo cœnanti
» domino ſtantium ſervorum turbam circum-
» dedit. Eſt ille pluſquam capit, & ingenti a-
» viditate onerat diſtentum ventrem, ac de-
» ſuetum jam ventris officio, ut majore opera
» omnia egeret, quam ingeſſit: at infelicibus
» ſervis movere labra, ne in hoc quidem, ut
» loquantur, licet, virgâ murmur omne com-
» peſcitur; & ne fortuita quidem verberibus
» excepta ſunt, tuſſis, ſternutamentum, ſin-
» gultus; magno malo ulla voce interpella-
» tum ſilentium luitur. Nocte tota jejuni,
» mutique perſtant: ſic fit, ut iſti de domino
» loquantur, quibus coram domino loqui non
» licet: At illi quibus non tantum coram
» dominis, ſed cum ipſis erat ſermo, quorum
» os non conſuebatur, parati erant pro domi-
» no porrigere cervicem, periculum immi-
» nens in caput ſuum avertere: in conviviis
» loquebantur, ſed in tormentis tacebant.
» Deinde ejuſdem arrogantiæ Proverbium
» jactatur: totidem eſſe hoſtes, quot ſervos.
» Non habemus illos hoſtes, ſed facimus: alia
» interim crudelia & inhumana prętereo, quod
» nec tamquam hominibus quidem; ſed tam-
« quam jumentis abutimur, quod cum ad cæ-
» nandum diſcubuimus, alius ſputa detergit,
» alius reliquias temulentorum ſubditus colli-
» git, alius pretioſas aves ſcindit, pectus &
» clunes, certis ductibus circumferens, erudi-
» tam manum in fruſta excutit. Infelix qui
» huic uni rei vivit, ut altilia decenter ſecet.
» Niſi quod miſerior eſt qui hoc voluptatis
» cauſa docet, quam qui neceſſitatis diſcit. Alius

vini miniſter in muliebrem modum orna- «
tus, cum ætate luctatur, non poteſt effuge- «
re pueritiam, ſed retrahitur, jamque militari «
habitu glaber diſtrictis pilis, aut penitus «
avulſis, tota nocte pervigilat; quam inter e- «
brietatem domini ac libidinem dividit, & in «
cubiculo vir & in convivio puer eſt. Alius «
cui convivarum cenſura permiſſa eſt, perſtat «
infelix & expectat quos adulatio & intempe- »
rantia aut gulæ, aut linguæ revocet in craſ- «
tinum. Adjice obſonatores, quibus domi- «
nici palati notitia ſubtilis eſt, qui ſciunt cu- «
jus rei illum ſapor excitet, cujus novitate «
nauſeabundus erigi poſſit, quid jam ipsâ ſa- «
tietate faſtidiat, quid illo die eſuriat, cum «
his cœnare non ſuſtinet, & majeſtatis ſuæ «
diminutionem putat, ad eamdem menſam «
cum ſervo ſuo accedere. Dij melius, quod «
ex iſtis dominos habent. Stare ante li- «
men Calliſti dominum ſuum vidi, & eum «
qui illi impegerat titulum, qui inter rejicula «
mancipia produxerat, aliis intrantibus ex- «
cludi; retulit illi gratiam ſervus, ille in pri- «
mam decuriam conjectus, in qua vocem «
pręco experitur, & ipſe illum invicem apo- «
logavit, & ipſe non judicavit domo ſuá dig- «
num Dominus Calliſtum vendidit, ſed do- «
mino quam multa Calliſtus? Vis tu cogitare «
iſtum quem ſervum tuum vocas ex iiſdem «
ſeminibus ortum, eodem frui cœlo, æque «
ſpirare, æque vivere, æque mori? Tam tu il- «
lum ingenuum videre potes, quam ille te «
ſervum. Marianâ clade quam multos ſplen- «
didiſſime natos Senatorium per militiam «
auſpicantes gradum fortuna depreſſit? Alium «
ex illis Paſtorem, alium cuſtodem caſæ fecit. «

» Contemne nunc ejus fortunæ hominem in
» quam tranſire, dum contemnis, potes. Nolo
» in ingentem me locum mittere, & de vſu
« ſeruorum diſputare in quos ſuperbiſſimi &
» contumelioſiſſimi ſumus; hæc tamen præ-
» cepti mei ſum̃a eſt : SIC CUM INFERIORE
» VIVAS, QUEMADMODUM TECUM SUPERIO-
» REM VELLES VIVERE. Quoties in mentem
» venerit quantum tibi in ſervum liceat, ve-
» niat in mentem tantumdem domino tuo li-
» cere. At, ego, inquies, nullum habeo do-
» minum : bona ætas eſt, forſitan habebis,
» neſcis qua ætate Hecuba ſervire cœperit,
» quâ Crœſus, quâ Darij mater, quâ Plato,
» quâ Diogenes. Vive cum ſervo clementer,
» comiter quoque, & in ſermonem admitte, &
» in conſilium & in convivium, Hoc loco ac-
» clamabit mihi tota manus delicatorum:
» Nihil hâc re humilius, nihil turpius. Hos
» ergo eoſdem deprehendam, aliorum ſervo-
» rum oſculantes manum : ne illud quidem
» videtis, quam omnem invidiam majores
» noſtri dominis, omnem contumeliam ſer-
» vis detraxerint? Dominum patrem-fami-
» liæ appellauerunt : ſervos in parentes (quod
» etiam in minimis adhuc durat) familiares,
» inſtituerunt diem feſtum quo non ſolum
» cum ſervis domini veſcerentur, ſed quo
» utique honores in domo gerere, jus dicere
» permiſerunt, & domum puſillam rempubli-
» cam eſſe judicaverunt. Quid ergò? omnes
» ſervos admovebo menſæ meæ? non magis
» quam omnes liberos. Erras ſi exiſtimas me
» quoſdam, quaſi ſordidioris operæ rejectu-
» rum, ut puta illum mulionem, & illum bu-
» bulcum : non miniſteriis illos æſtimabo, ſed

moribus. Sibi quiſque dat mores: miniſteria «
caſus aſſignat. Quidam cœnent tecum, «
quia digni ſunt, quidam ut ſint. Si «
quid enim in illis ex ſordida converſatio- «
ne ſervile eſt, honeſtiorum convictus excu- «
tiet. Non eſt, mi Lucili, quod amicum tan- «
tum in foro & in curiâ quæras: ſi diligenter «
attenderis, & domi invenies. Sæpe bona ma- «
teria ceſſat ſine artifice, tenta & experire; «
quemadmodum ſtultus eſt, qui equum emp- «
turus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus «
ac frænos: ſic ſtultiſſimus eſt, qui homi- «
nem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ «
veſtis modo nobis circumdata eſt, æſtimat. «
Servus eſt? ſed fortaſſe liber animo: ſervus «
eſt? hoc illi nocebit? oſtēde quis non ſit. Alius «
libidini ſervit, alius avaritiæ, alius ambitio- «
ni; omnes timori. Dabo conſularem, ani- «
culæ ſervientem; dabo ancillulæ divitem; «
oſtendam nobiliſſimos juvenes mancipia «
pantomimorum. Nulla ſervitus turpior eſt «
quam voluntaria: quare non eſt quod faſti- «
dioſi te deterreant, quominus ſervis tuis hi- «
larem te præſtes, & non ſuperbe ſuperio- «
rem: colant potius te quam timeant. Dicet «
nunc aliquis, me vocare ad pileum * ſervos, « ** Id eſt libertatem.*
& dominos de faſtigio ſuo dejicere; quod di- «
xi colant potius dominum, quam timeant. «
Ita-ne, inquit, prorſus colant tāquā clientes, «
tāquā ſalutatores? hoc qui dixerit obliviſce- «
tur, id dominis parum eſſe, quod Deo ſatis eſt «
qui colitur & amatur: non poteſt amor «
cum timore miſceri. Rectiſſime ergo te fa- «
cere judico quod timeri à ſervis tuis non vis, «
quod verborum caſtigatione uteris. Verbe- «
ribus multa admonentur: non quicquid nos «

» offendit & lædit : ſed ad rabiem cogunt ve-
» nire deliciæ, ut quicquid non ex voluntate
» reſpondit, iram prouocet. Regum nobis in-
» duimus animos. Nam illi quoque obliti &
» virium ſuarum, & imbecillitatis alienæ, ſic
» excandeſcunt, ſic ſæviunt, quaſi injuriam
» acceperint : à cujus rei periculo illos fortunæ
» ſuæ magnitudo tutiſſimos præſtat. Nec hoc
» ignorant, ſed occaſionem nocendi captant
» quærendo; acceperunt injuriam ut facerent :
» Diutius te morari nolo. Non eſt enim tibi
» exhortatione opus : hoc habent inter cæte-
» ra boni mores : placent ſibi & permanent;
» levis eſt malitia, ſæpe mutatur : non in me-
» lius ſed in aliud. Hucuſque Seneca quo quid
ad clementiam dici potuit, & ſuavem cum
ſervis agendi rationem potentius ?

DUBIA SEECTA

OECONOMICA.

UT familia cujus rectæ inſtitutioni tota incumbit Oeconomica, triplici continetur ſocietate, conjugali, patriâ, & herili; triplex quoque officiorum genus præſcribit, de quibus egimus; nempe conjugum ad invicem, parentum, & liberorum, domini & ſervorum. Plura inter quæ moveri poſſent, dubia aliqua ſeligo, alia leviora minoriſque momenti libens omiſſurus.

Ac quidem ut ab iiſce quæ ad ſocietatem pertinent conjugalem dubiis ducamus exordium, quibus & jucundius nihil eſſe poteſt, & ad eruditionem animique oblectationem accommodatius, quibuſque dubia omnia œconomica fere continentur, cum circa ſocietatem patriam & herilem, pauca admodum, ſaltem alicujus momenti, ſi modo è memoriâ dicta ſuperius non excidant pertinere poſſunt: Recole quod ſocietas conjugalis ſpectari poteſt, vel ut inita, vel ut ineunda; ergo aliqua dubia naſci poſſunt, & circa initam, & circa ineundam, vix aliqua momenti gravioris nova circa contractam occurrant, poſitis iis quæ in officiis conjugum mutuis tradita ſunt, ni forte de indiſſolubilitate quid attingendum:

ergo ea quæ ad ineundam ſocietatem conjugalem attinere maxime videbuntur jucunditateque ſua lectoris animum oblectare poſſunt præcipue, paucis perſtringamus quibus conjugij ſemel celebrati perennitas ſubnectetur.

Revocantur autem ad generalia hæcce capita ſub quibus & alia continentur.

An ſapienti ducenda ſit uxor, an cœlebs vita anteponenda?

Quæ ducenda in uxorem? ubi de corporis eligendæ uxoris dotibus, ſanitate, pulchritudine & ætate diſſeretur; de indole, moribus, & ingenio; de fortunæ muneribus, ubi de ſtirpe, & dote.

An unica uni viro?

An unica pluribus? ubi de Polygamiâ & communitate uxorum.

DUBIUM I.

An ſapienti ducenda ſit uxor.

HUic quæſtioni, qua vix jucundior alia, melius enodandæ, prævia eſto hypotheſis.

HYPOTHESIS.

Primo: id faciendum ſapienti quod melius: atne quod ſimpliter melius? non ſane neceſſario, ſed quod melius ſibi: melius enim quæ-

rendum non quod ἁπλῶς ſed quod πρός τι.

Secundo: Conjugium poteſt comparari cum virginitate & cœlibatu vel ſuppoſitâ fide, vel non ſuppoſitâ, id eſt ſiſtendo in lumine mere naturali.

Tertio: Iterum ſuppoſitâ fide fieri poteſt ejuſmodi comparatio & ante peccatum originale in ſtatu naturæ innocentis : & poſt peccatum in ſtatu naturæ lapſæ.

Quarto: Nuptiæ , vel cœlibatus ſpectari poſſunt, vel in ordine ad bonum privatum cælibis, aut conjugati: vel in ordine ad bonum publicum. His poſitis totam quæſtionem his propoſitionibus dirimo.

Primo: Nobilius abſtinere nunc , quam inire conjugium.

Secundo: Alias, ſeu in ſtatu innocentiæ præſtantius fuiſſet ducere uxorem quam cœlibem agere vitam.

Tertio per modum corollarij: Simpliciter & ſecundum ſe nobilius conjugium abſtinentiâ & virginitate.

Quarto: ſiſtendo in lumine naturali, cœlebs vivet qui ſui erit quam maxime ſollicitus, ſi vivere ſic poteſt.

Quinto: ſiſtendo in eodem lumine, nuptias celebrabit cui publica proprijs potiora erunt commoda.

Sexto, nec cæteris paribus, qui ſapiens magis, hic jugum ſubeat conjugale, cum ęque bene poſſit utrumque.

Septimo demum quod ſequatur ex dictis : an nunc ſapiens uxorem ducere debeat haud diremerit ſapiens.

Nobilius est abstinere nunc quam inire conjugium.

Propositio eſt de fide. Contrariam propugnabat Jovinianus in quem tam nervoſe ſcripſit Hieronymus, probat S. Thomas cujus argumenta firmabunt è SS. PP. ſelecta, pauca quidem, aſt omnia referre ut mihi operoſum nimis, ſic & forte in re certa patentique ſuperfluum: ergo.

lib. contra. Jovinian. S. Th. 22. q. 152. art. 4.

Sic diſſerit Angelicus Doctor. 1. *Apoſtolus conſulit virginitatem tamquam maius bonum.* 2. Qui cœlebs & virgo, bonum divinum procurat & animi, ut qui vitam vivit contemplativam: qui vero conjugatus, humanum & corporis, quia conjuges ea cogitant quæ ſunt mundi & ſpeciei conſervationi propagationique imprimis ſunt intenti.

1. ad cor. 7.

Audiamus jam SS. Patres, inter alios » imprimis Auguſtinum & Ambroſium. Vir» ginitas aurum, nuptiæ argentum, inquit » Hieronymus: nuptiæ ſiniſter, virginitas » dexter oculus, inquit iſdem. Virginitas, in» quit Auguſtinus, utroque bono præcelſior » eſt, quia naturam vincit & pugnam: na» turam, corporis integritate: pugnam pace » caſtimoniæ, quæ pro ſolo amore pudicitiæ » in pace eſt. Quis, ait iſdem S. Doctor » verbis explicet, quis digno præconio pro» ſequatur quam incomparabiliter glorioſius » atque fructuoſius habeat ex veſtro ſangui» ne fœminas virgines Chriſtus quam viros » conſules mundus? Nam volumina tempo» rum ſi magnum atque præclarum eſt nomi-

Adverſ. Jovin.

ep. 179. ad Probam. tom. 2.

nis dignitate ſignare, quanto eſt majus atque « præclarius cordis & corporis integritate « tranſcendere? Magis itaque gaudeat Puel- « la nobilis genere, nobilior ſanctitate, quod « ſit per divinum conſortium præcipuam in « cœlis conſecutura ſublimitatem, quam ſi eſ- « ſet per humanum connubium prolem pro- « pagatura ſublimem: Generoſius quippe e- « legit Aniciana poſteritas, tam illuſtrem fa- « miliam beare nuptias neſciendo, quam « multiplicare pariendo, & in carne jam « imitari vitam Angelorum, quam ex carne « numerum adhuc augere mortalium. Hæc « eſt uberior fœcundiorque fœlicitas non « ventre graveſcere, ſed mente grandeſce- « re: non lacteſcere pectore, ſed corde can- « deſcere: non viſceribus terram, ſed cœlum « orationibus parturire. «

Videatur de Auguſt. tom. 2. ep. 143 ad Iulianum. ſer 1. de aſſumpt. B. Virg. l. 4. de Doct. Chriſt. cap. 21.

AMBROSIUS paſſim totus eſt in laudibus vir- ginitatis: Spectate, inquit, virginitatis me- « ritum: Chriſtus virginis ſponſus: & ſi po- « teſt dici Chriſtus virgineæ caſtitatis: virgi- « nitas enim Chriſti non virginitatis Chriſtus « eſt: virgo eſt ergo quæ nupſit, virgo quæ « nos ſuo utero portavit, virgo quæ proprio « lacte nutrivit. Nupturæ, *inquit iſdem poſtea* « neceſſe eſt impares ſe ſacris fateantur eſſe « virginibus, quibus ſolis cōtingit dicere: Spe- « cioſus forma præ filijs hominum; diffuſa eſt « gratia in labijs tuis: Quis eſt iſte Sponſus? « Non vilibus addictus obſequijs, non caducis « ſuperbus divitijs, ſed cujus ſedes in ſæcu- « lum ſæculi, filiæ regum in honore ejus. A- « lia ſileo. «

l. 3. p. 2.

STANTE INNOCENTIA ORIGINALI COELIBATU MELIUS PRÆSTANTIUSQUE CONJU-

GIUM. Quid ita? incommoda conjugii tunc nulla: omnia commoda.

INCOMMODA nulla; quia nec tunc mens negotijs œconomicis diſtracta, nec ab amore Dei perenni avocata voluntas. Quid ita? ſollicitudo ex inopiæ metu & egeſtatis, cordis diviſio ex naturæ corruptione & appetitus rebellione: at in hocce ſtatu nec inopiæ metus, & naturę ſubditâ ſpiritui carne integritas.

TUNC ergo nec moroſitatem uxoris timuiſſet conjux, nec conjugis ſævitiem uxor, quia utriuſque conſtans in amore Dei voluntas ex juſtitiæ originalis inhabitantiſque gratię ſanctificantis conſtantiâ.

COMMODA omnia: commoda enim conjugij ut multa ſunt, hæc imprimis, quod ſocietatem vitæ individuam procuret, quâ ſecretiores receſſus cum ſecuritate & gaudio mutuo ſibi conjuges pandant, quod ſobolis procrationi & ſui nominis, aut amplificationi, aut conſervationi etiam ut nunc conjuges conſultum velint, quod hâc ratione Dei gloria imprimis eluceſcat, qui tot habeat ſuæ majeſtatis cultores & præcones, quot lucis uſurâ fruuntur de novo creaturæ. Hæc autem omnia tunc contingerent.

CONSEQUENTER, SECUNDUM SE ET SIMPLICITER NOBILIUS EST CONJUGIUM ABSTINENTIA ET VIRGINITATE. Quid ita? per accidens tantum nunc ignobilius fuerit, nempe ratione naturæ depravatæ. Cedo enim cur nunc præſtat virginitas conjugio? Sane quia & periculum majus in caſtitatis cuſtodiâ ex mente Apoſtoli, & virgo ea tantum cogitat quæ ſunt Dei, diviſum vero cor conjugum quod partiantur curæ domeſticæ: at nec tunc ejuſmodi

modi ſollicitudo, terrâ ſuopte nutu neceſſaria ſubminiſtrante, ſervientibus quoque ad nutum cunctis corporibus homini: nec diviſus tunc affectus, diviſum cor, quod totum ſibi Deus per gratiam firmam & conſtantem vindicaſſet.

Ast & amaſſent ſuos tunc: Amaſſent ſane, ſed amore charitatis ſolidæ & conſtantis: amaſſent quia Dei gloriæ majeſtatiſque futuros cultores & præcones.

Præstantia itaque conjugij in hocce ſtatu ſupra virginitatem, ex communi bono quod ex procreatione prolis emergit, virginitate ad extremum non ſervatâ ſpiritum, maxime repetitur, ex quo Dei gloria.

Revera non alio ex conſilio ex mente Patrum facta mulier, unde & per accidens præſtantia virginitatis: ptiſana febricitanti melior vino generoſo: ergone per ſe & ſimpliciter? haud ſequitur. Audiatur Auguſtinus de nuptijs ſtatus innocentiæ loquens. *Eſſent procul dubio nuptiæ etiam non præcedente peccato, quia neque ob aliam cauſam viro adjutorium non alius vir, ſed fœmina facta eſt; & illa Dei verba: Creſcite & multiplicamini, non eſt damnatorum, prædictio peccatorum, ſed fœcundarum benedictio nuptiarum, nec enim Deus ineffabilibus ſuis verbis, id eſt divinis rationibus in ſua ſapientia, per quam facta ſunt omnia, veritate viventibus vim ſeminis indidit primis hominibus: ſi autem peccato non fuiſſet dehoneſtata natura, abſit ut opinemur tales futuras fuiſſe nuptias in paradiſo, ut in eis ad prolem ſeminandam non natura voluntatis, ſicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum, ſed aſtu*

Tom 4. lib. 2. de Grat. cap. 35. Idem habet cap. 36. lib. 9. de Geneſ ad lit. cap. 3. cap. 27. l. 14. de civit. cap. 21. l. de Bono viduit. c 8.

O

libidinis membra genitalia moverentur, nec ſicut nunc fit, virginitatis integritas ad concipiendos fœtus vi turbidi vitiaretur ardoris, ſed obſequeretur imperio tranquilliſsima & eo modo non eſſet dolor & cruor virginis concumbentis, quomodo non eſſet etiam gemitus parientis.

Atque hoc ſenſu intelligendus S. Thomas cit q. 152. art. 4. ad 3. ubi bonum ad quod ordinatur virginitas etſi privatum, cum bonum ad quod tendit conjugium ſit publicum, ſecundum ſuum genus, adeoque & ſimpliciter melius eſſe pronunciat: loqui enim exiſtimandus de bono conjugij in hoc ſtatu, ut & de bono virginitatis quæſtio: enim excitatur in præſenti hypotheſi, non abſolutè.

Sistendo in mero lumine naturali coelebs vivet qui sui erit imprimis sollicitus. In id conſpirant omnes ſeu antiqui ſeu recentiores, qui conjugii incommoda & mulierum moroſitatem, ſævitiem, inconſtantiam tam fuſe proſequuntur: His ſi fidem habeamus antiquiores conſulamus, certe cane pejus & angue vitandas nuptias, fugiendas mulieres conjiciemus. *Infortunium extremum ſunt nuptiæ*, ait Antiphanes: *Sepelire uxorem, quam ducere melius*, ait Cheremon. *Egregie vives ſi non habueris uxorem*, ajebat Philetas: *Nuptiæ moleſtias accumulant*, inquit Theocritus: *Pœnitentiæ parentes* ait Menander, *& ſervitutis*. Lepidè Poëta,

Mulier melle mollior
Et quo nitentior eo nocentior,
Quæ dum te fovet, ſibi facet
Et dum ridet, rodit ac radit;

Quæ corpus carpit & aurum haurit
Idque latenter ac lactenter ;
Non virgo nec virago, ſed vorago
Quæ viros vorat, & vorando mandit.

Ideo Hipponactes apud Stobæum. Ibid.

Bini ſunt cum uxore jucundiſſimi dies: Alter quo ducitur, alter quo mortua effertur.

Non minus feſtivè Morus.

Vxor amice tibi eſt ſemper mala, cum male tractas
Fit peior: ſed fit peſſima, quando bene.
Sed bona ſi moriatur erit, melior tamen id ſi
Te faciat vivo, aſt optima ſi properè.

Quid ſi præterea ex liberorum procreatione ſollicitudines perpendas; Audi Demeam apud Comicum : Terent. in Adelph. act. 1. ſc. 4.

Duxi uxorem : quam ibi miſeriam vidi ; Nati filii
Alia cura: porro autem dum ſtudeo illis ut quamplurimum
Facerem : contrivi in quærendo vitam, atque ætatem meam ;
Nunc exactâ ætate hoc fructi pro labore ab illis fero : Odium.

Alia innumera ſileo, toti enim ſunt in hac materiâ authores, quo patet eum qui ſuæ quieti conſultum volet, cœlibem victurum.

Sistendo in eodem lumine naturali, nuptias celebrabit cui publica propriis potiora erunt commoda. Quid ita? Reipublicæ bono propagatione prolis quæ per nup

tias obtinetur conſulet, cum boni privati, id eſt propriæ tranquillitatis diſpendio

An *vero id facere melius?* forte melius, at nec ſapienti ſemper & ingenioſo opportunius. Solerter Anaxandridas

Quiſquis uxorem ducere deliberat, non deliberat
Apud Stob. ſerm. 66. *Recte: nam ubi deliberavit, ſtatim ducit*
Quod multorum vitæ malorum initium eſt:
Nam ſi quis pauper pecunioſam uxorem
Duxerit; non uxorem ſed dominam habet
Cuius famulus eſt, & ſervus: Quod ſi duxerit
Nihil ei afferentem dotis, iterum fit ſervus:
Oportet enim deinceps unius loco duos alere.
Duxit aliquis turpem, non amplius ei jucunda eſt vita,
Neque omnino domum ingredi libet.
Formoſa ducitur: non eſt illa
Magis mariti ſui quam vicinorum;
Itaque nullo modo malum cavere potes–

Quid ſi non virginem pro virgine duxerit? habebit, ſi nonnullis habenda fides, frigidius Æneid. 4. ſe amantem. Hinc Dido de Sichæo conjuge mortuo ad Annam ſororem.

Ille meos primus, qui me ſibi iunxit, amores

Abſtulit, ille habeat ſecum, ſervetque ſepulchro

Et Oenone ad Paridem:

Me fide conſpicuus Troiæ munitor amavit, Ovid. ep. 5.

Ille mea ſpolium virginitatis habet.

Mitto triſtitiam & imbecillitatem amplexus venerit in viro ſequacem, non in muliere, unde hæc perficiatur juxta Petrum Abanum, Vulgo Conciliator in 4. probl. 2. non vir: quid ita? ſcilicet ſeu mulier ſeminis proprij communicatione ad opus generationis conferat, ſeu non, quod magis favet, ut & placet Ariſtoteli (1. *de gener. animal. cap. 20.*) certe ſervat in ſe & ſuos & ſpermaticos mariti ſpiritus, ſuos vir amittit. Hinc Clynias Pythagoricus apud Laërtium & Plutarchum à quodam interrogatus, quando naturæ votis ad generationis opus parendum foret: *Cum voles*, inquit, *te ipſo fieri debilior.* Quamvis hæc ratio, diſparque maris & fœminæ conditio quoad retentionem ſpirituum ſuis non careat difficultatibus: quid ita? recuperabunt ſcilicet partes è quibus ad ſacrarium naturæ affluxerunt? recuperabunt ſuos ſpiritus? hi pariter ex eo ad ſingulas partes remearent? Atqui & imbecillitas partium ex ſpirituum ad clauſtra materna ex ſingulis partibus advolitantium ſeceſſu conſequitur.

Demum, ut abſolvam, nauſeat ſua, placet aliena, ubi aliqua placuit: ideo ex Apoſtolo tribulationem carnis patientur conjugati, quam non experientur virgines. ad Cor.

Quod licet ingratum eſt, quod non licet acrius urit: Ovid. l. 2. amor.

Quod ſequitur fugio, quod fugit ipſe ſequor.

Et Auſon.

Hanc volo quæ non vult; illam quæ vult ego nolo
Vincere vult animos non ſatiare Venus
Oblatas ſperno illecebras, detrecto negatas
Nec ſatiare animum, nec cruciare volo.

Scilicet.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.

DUBIUM II.

De corporis eligenda uxoris dotibus.

AD tres revocari poſſunt: ſanitatem, pulchritudinem & ætatem.

PARAGRAPHUS I.

De eligenda uxoris ſanâ conſtitutione.

HANC perneceſſariam eſſe nemo meo ſenſu ire poſſit inficias: nec enim felices ſint fortunatæque nuptiæ quas mœrori, ærumnis, proliſque imbecillæ ac oneri potius

futuræ quam ſolatio & levamini generatio infauſta conſequatur : At abſque valetudine proſperâ conjugum mœror perpetuus, ærumnæ, calamitates, animi cruciatus & angores : imbecillis quoque & infelix prolis procreatio.

Animi quidem cruciatus & angores, tum ex amore mutuo in invicem, tum ex ardore in bonum familiæ, & ſollicitudine boni domeſtici proficiſcentes.

Ex amore mutuo in invicem, ubi enim amor ſyncerus, ibi ſummus ardor; ubi uno verbo vera amicitia, ibi, ut oſtendimus ſupra ex Tullio, nihilo ſeſe plus amans amat quam amicum, alioqui veræ amicitiæ perit ratio : at inter conjuges ſummus amor, imo amicitiâ eâ de qua Tullius, & nos cum ipſo diſſerebamus, longe major & divinior. *Relinquet*, inquit Scriptura, *homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne unâ.* Ergo conjux nihilo minus amat conjugem quam ſeipſum : hoc ſi ita eſt, quibus doloribus non afficiatur, quibus non prematur anguſtiis conjux, ubi conjugem morborum æſtu, & cruciatibus divexatum deprehendet ? viciſſim amor, qui unico rependitur amore, faciet ut conjux alter, quem morbus vexabit, præter mala calamitateſque male ſani corporis proprii, & conjugis ſuo malo compatientis dolori vehementer compatiatur.

Ex ſollicitudine boni domeſtici : quis enim (ſi modo humanitatem non penitus exuit meliorem quam omnibus conſequi non eſt datum vitam vivens) iniquo maxime non ferat animo moleſtias illas, ægritudines, cruciatus, ex quibus rei familiaris adminiſtrandæ

impotentia, liberorum, ſi non neglecta penitus, ſegnior ſaltem, minuſque ſtudioſa inſtitutio; conjugis, qui commoda familiæ alioqui felicius procuraret negotiis altioribus intentus, ſtudia diſtracta, vilior minuſque fructuoſa ſollicitudo. Atqui & ex hoc ingeminati conjugis bene affecti, tam ingrati, quam ſteriles infœcundique mentis angores: quid ita? dolorem, qui vehemens ſiquis alius, ex adverſâ conjugis valetudine profectum, auget & ad ſummum uſque ducit, rei domeſticæ, ſuorumque, quos maxime diligit, adaucto minus patrimonio, quin & imminuto ſæpius, commodi jactura & diſpendium.

Quid ſi conjugium ut natura liberorum procreationi, ad quam nemo qui ei obtemperaverit non rapitur, deſtinavit; ſic & mitigandæ concupiſcentiæ, placandæque, Deo ita diſponente, inſerviat? an tunc impotente, quæ & naturæ votis obſecundet, & ingruentem prementemque, ſi non frangat, maxime ſaltem debilitet hoſtem conjuge, non ardua maxime, infelixque alterius conjugis ſors & conditio?

Imbellis demum ex prave affectorum conjugum caſtis amplexibus naſcitur proles. Trahit enim fœtus, ut dixi, & fuſe experientiâ edocti tradunt Medici, ex parentibus ut vitam, ſic & vivendi proſpere ac feliciter aut miſere, ærumnoſeque conditionem. Quid ſi ex imbellium parentum commercio debilis (ſi quis tamen) ſequitur fœtus? Ergone ex morbidis, cacochymis, & grave affectis ſanus, integer & ad omnes vitæ functiones belle fortiterque obeundas comparatus enaſcetur? ad partes eaſce quas propagationi ſpeciei natura

ra morti tam infenſa quam immortalitatis avida conſecravit, aut fluit è ſingulis totius humani corporis partibus portio, exigua licet, imo perexigua divinæ iſtiuſce, quam animæ cœleſti ſemine ſatæ eadem natura voluit eſſe ſedem materiæ, quod divinus credit Hippocrates: & præter alios plures novo niſu firmare aggreſſus eſt Æmilius Pariſanus in ſuis de ſubtilitate microcoſmicâ exercitationibus; aut ſaltem Spiritus πλαςικοὶ advolitant. Quicquid fuerit, aut traducitur per particulas in maſſam ſeminalem labes, aut per ſpiritus, namque & hos vitium contrahere ex aëre attracto, cujus conditionem ſequantur illi, doctiores autumant Medici. *Medicus Venetus.*

Ergo ſana, beneque conſtitutæ temperiei uxor eligenda. Eamdem voluerim puellæ in conjugis delectu ſollicitudinem.

PARAGRAPHUS II.

De eligenda uxoris pulchritudine.

AN formoſa duci debeat uxor ſic jampridem ancipiti Marte pugnatum, ut pluribus etiam, tum cum votorum facti ſunt compotes proſpero minus: ita pleraque quibus ſuaviter ubi deliniuntur ſenſus, mens officioſa nimis ac obſequioſa pellicitur,

—— *Plus aloës quam mellis habent.*

NEc nobis quæ anteponenda certo pronunciare eſt animus; quæ placuerit magis, dicere

nemini non facile; quæ ſumenda, me hercule perarduum. Hoc amice quiſquis fueris, quantumvis oculatus tibi videbere, ſi tentas,

Horat. l. 2. Od. 1.

Periculoſa plenum opus alea
Tractas, & incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.

Sic fatis volentibus frænum delicatæ nimis cupiditati imponendum fuit. Atqui nec natura optima eſſe voluit quæ guſtum titillarent maxime edulia. His ut delectetur, illis robur acquirit, corporis fovetur ſanitas, & ad propulſandas injurias partes omnes muniuntur.

Ergo ſuas eaſque maximas ineſſe pulchritudini illecebras; quod nemo niſi parum ſui compos, & ab omni humanitatis ſenſu alienus eat inficias, lubenter agnoſcimus: bene enim antiquus apud Stobæum.

Serm. 63. Hæc enim ſumma virtus exiſtit in vita corpus habere quod pulchra mereatur.

Πλείστη γὰρ ἀρετὴ τῦθ' ὑπάρχοι ἐν βίῳ
Τὴν ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ' ἔχειν.

Quin & apud eumdem tanti Phavorinus corporis facit pulchritudinem facetiæ comitatique conjunctam, ut eo ipſo quem amore dignum judicet, quò facetus, comis, pulcher & feſtivus. *Satis forſan*, inquit, *fuerit vel ſola facies, ſi tamen ſimul formoſus, facetus ſit & amabilis. Dic igitur adoleſcens, dic Antiloche, ſuavius Neſtore loqueris, dic ô Telemache, vehementius Vlyſſe dices, dic Alcibiades, & ſi inebriatus ſis libenter ebrio tibi auſcultabimus: huiuſmodi res eſt formoſum eſſe, iucunda viſu, delectabilis auditu, & ut cum Platone dicam, ſenſus omnes formoſus delectat.*

Quin & hoc habere videtur pulchritudo ſupra cæteras, ſeu corporis, ſeu animi dotes,

quod ſeipſâ conſpicua ſit, quod non egeat externis operibus, quibus veluti ſignis latens abſcondiraque credatur forte potius quam certo deprehendatur, quod amicitiam omnium ſibi conciliet, cum veritas aliquando virtuſque odium pariant. Hęc apud eumdem erat mens Melanconij. *Pulchitudo*, inquit, *inter humana bona maxime conſpicua & ſuaviſſima diis eſt, hominibus gratiſſima: poßidenti minime moleſta*, (quod an verum ſit mox aperiemus) *cognitu facillima, cætera enim bona in homine ſita, ut fortitudo, prudentia, latere poſſunt niſi opere aliquo demonſtrentur: pulchritudo autem latere nullo modo poteſt, ſtatim enim apparet & ſenſum quam citiſſime ferit, ad hac bonis quidem plurimi invident, & inimici redduntur*; pulchritudo autem eos, *qui ipſam ſentiunt amicos facit, neminem inimicum* Quid ſi quod ſentit inſignis inter Græcos authoz Plutarchus, pulchritudo corporis opus eſt præcellentis animæ dignum, propria dignitate præſtantiâque ſibi domicilium effingentis, quo & ipſa ſuæ & corporis gloriæ conſulat, *ἢ τοῦ σώματος εὐμορφία ψυχῆς ἐςὶν ἔργον σώματι χαριζομένης δόξαν εὐμορφίας*, Quid ſi hoc etiam habet juris pulchritudo, quod cauſabatur Dius Pytagoricus, ut à reddendo beneficio eximat: ut beneficioſe affectos à pulchro formoſoque exiſtiment cæteri, à quibus ultro formoſus, & cum voluptatis teſtificatione beneficia acceperit? *Apud Stob. Serm. 64.*

Ast ut pulchritudo de ſe naturæ munus & beneficium, ut Dei donum ſit, noſtro abuſu ſit malum, inquit ſanctus Auguſtinus. Eo ipſo noxia quo commendabilis: maxime. Commendatur, quod conſpicua autem quod omnium ſibi amorem conciliet, quod animos

rapiat, quod omnium, quicumque offerunt ſe ſe, corda ſauciet, quod omnes ſibi debitores faciat etiam dum beneficos aliorum experitur animos. Atqui & hoc ipſo perículoſa maxime, damnoſa habenti, damnoſa conjugi. Vix patentia omnibus ſervaveris tibi, occulta melius & tutius. *Magno cum periculo cuſtoditur*, inquit Publius Mimus, *quod multis placet*. Infelix conjux cui dubia merito ſuſpectaque conjugis fides: at hoc habet in venuſto corpore pulchritudo, ut fidei integræ quam difficillime ſocietur;

Iuvenal. Sat. 10.

Rara eſt concordia formæ
atque pudicitiæ.

Verum latebunt in formoſo corpore ſemina virtutis, & quidem vegetæ; fidem illibatam, quam pollicita es conjugi integram ſervare ſtatues: inter formoſas caſtitatis pudicitiæque quam amantiſſimam te præbebis:

Ovid. Metamorph.

——Sed te decor iſte quod optas
Eſſe vetat, votoque tuo tua forma repugnat.

At & vitabis virorum commercia; his haud penitus te ſubduxeris etiamſi per nemora fugias,

Sylvarum latebris captivarumque ferarum
Exuviis gaudens.

Habet hoc eximia corporis pulchritudo, ut non tantum voluptati plus æquo deditos, ſed etiam optimos quoque & temperantes maxime commoveat, ἡ δὲ γυναικῶν εὐμορφία ἀφορμὴ τοῖς πάθεσι mulierum pulchritudo perturbationes vehementes excitat.

Et Deus in flammas abiit,
Quem oris decor & faciei ſemel pellicit
Si qua latent meliora putat.

In hoc lugendo naturæ depravatæ ſtatu, amor etiam noxius & ſceleratus amore rependitur. Dum clamabit Phœbus aliquis pudicitiæ tuæ oppugnator, dum tremulam contendet vocem ſingultibus diſruptam;

—— Non inſequor hoſtis,
Pulchra mane: ſic agna lupum, ſic cerva leonem,
Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columbæ;
Hoſtes quæque ſuos: amor eſt mihi cauſa ſequendi.

Vix, vix crede mihi niſi propitio maxime numine ſuperiori, vix Daphnes æmula inſequentem effugies tuæ ut pulchritudinis amantiſſimum, ſic & caſtitatis hoſtem infenſiſſimum. Summâ, quâ poteris mentis conſtantiâ cum illo pugna, tantam judicij ad repellendos inanes ſuſurros * morituræ caſtitatis ſæpius prænuncios celeritatem adhibe, quantam Daphne pedum pernicitatem ad effugiendum Apollinem.

Qui tamen inſequitur pennis adjutus amoris
Ocior eſt, requiemque negat, tergoque fugacis
Imminet.

Vis verbo dicam?

Intacta ut maneas pones cum Daphnide formam.

* Bonus ſermo ſecreta non quærit, quin potius delectetur laudibus ſuis & teſtimonio plurimorum. *Hier. ep. ad Gaudent. de Pacatula educatione.*

At ne pericula ex præcellentis formæ uxoris ſocietate emergentia nimis perſequi videar, quæ ſane ſunt plurima, & quibus ſi forte feliciter non defungitur uxor totius familiæ pernicies ſequitur, violata fide, pace ſublata, diſtracto patrimonio, & quid habet re vera pulchritudo tantum cui cordatus & bene compo-

ſitæ mentis homo tam cæco impetu ſerviat? Merito ſane dixerit Poëta.

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

At ne vero ſemper pulchritudo mentis corporis elegantiæ decori & formoſitati conjungitur? atqui tamen bene Euripides.

In Oedypo.

Νοῦν χρὴ θεάσασθαι οὐδέν τι τῆς εὐμορφίας
Ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας ἔχῃ.

Animus ſpectandus eſt: nihil pulchritudo
Iuvat cum quis mentem non bonam habet.

Quid ſi rara ſit conſenſio ejuſce, quæ oculos percellit maxime, & corda ferit, pulchritudinis, cum rectâ, laudabili & ad judicij mentiſque firmitatem temperie? ut lineamentorum elegantia partiumque, juſta proportio ad faciei dignitatem faciat maxime, vix abſque colore illo ſufficiat, qui ex ea proficiſcatur craſi, quæ maſculos parum juvet animos, ſed molles ſępius effœminatoſque comitetur. Bene ſuam laudabat pulchritudinem ſponſa Canticorum: *Nigra ſum ſed formoſa.* At vix ſuum noſtris haberet temporibus pretium.

Denique ut plura alia ſileam, quam fluxa, quam caduca, quam momentanea ſępius pulchritudo!

Ovid. l.2. de arte.

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.

Et Tragicorum princeps Hippolyti eximiæ pulchritudini male ominatus.

Chor. apud Senec. in Hippol.

Anceps bonum forma mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Vt vel ex celeri pede laberis!
Non ſic prata novo vere decentia
Aeſtatis calida diſpoliat vapor,

Sævit ſolſtitio cum medius dies
Et noctem brevibus præcipiat rotis;
Langueſcunt folio lilia pallido,
Et grata capiti deficiunt roſæ;
Vt fulgor teneris qui radiat genis;
Momento rapitur, nullaque non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax, quis ſapiens bono
Confidat fragili?

Habet fateor illecebras corporis elegantia; & terſæ faciei vividus color: At

Iſta decens facies longis vitiabitur annis, Ovid. 3. Triſt.
Rugaque in antiqua fronte ſenilis erit:
Injicietque manus formæ damnoſa ſenectus
Quæ ſtrepitum paſſu non faciente venit.

Tunc communis & te & uxorem cruciabit dolor: tunc uxori tu priſtinum faciei decus optabis cum Poëta;

—Cur his annis incolumes non redeunt genæ. Horat. Od. 10. l. 4.

Tu viciſſim uxor quæ prius tuo aſpectu, Baſiliſci æmula, caſtitatem perimebas intuentium, antiquos fruſtra annos revocans lachrymis quereliſque ſurdum fatigabis Numen:

Cumque aliquis dicet, fuit hæc formoſa; dolebis,
Et ſpeculum mendax eſſe querere tuum.

Quid plura? comis placeat uxor quæ virum & colat, & amet, & veneretur; quæ non detrectet imperium: At

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturque ſuperbia formam. Ovid.

Ergo ut perpulchram uxorem ducas, vix fuerim author, ni & ipſa probatiſſimæ tibi caſtitatis & modeſtiæ, ni &, quod addiderim, nec immerito, pulchritudine corporiſque elegantiâ cum ipſâ tam feliciter certare poſſis quam vir poteſt cum muliere. Sic & modeſtiorem habebis, & obſequioſam magis, & tui amantiorem. Quam ergo tutius elegeris? certe nec perpulchram, nec deformem.

Id fere monet Nicoſtratus apud Stob. ſerm. 68.

Non perpulchram, ne & nimium ames, & nimium ametur. Damnoſus eſt conjugi nimius amor quem pulchritudo excitat conjugis, etſi nimius eſſe nequeat quem virtus morumque laudabilis integritas parit. Hic animo ſcilicet qui agendo roboratur magis, ille corpore conſummatur, cujus vires frequentiori nimioque niſu imminuuntur maxime, tandemque exolvuntur. Nimium quoque ſi ametur ob faciei pulchritudinem & dignitatem merito vereare, ne tuam non duxeris quam duxiſti in tuam.

Non deformem; quamquam enim, ut loquitur Seneca, animus deformitate corporis minime fœdetur, ſed pulchritudine animi corpus exornetur, tamen utrique quantum licet conſulere debet bene cordatus: at ut mentem conjugis, uxoris dotes ſummâ voluptate perfunderent, corpus minime oblectare poſſent, cujus ſenſus ad deformis conjugis aſpectum nauſearent.

PARAGRAPHUS III.

De ætate conjugis.

CUjus ætatis ducenda ſit uxor vix inter ſapientes conſenſio : in his tamen convenire videntur.

PRIMO celebrandis nuptiis ætas ſenilis haud idonea, ſeu in viro, ſeu in muliere.

IN hâc ob procreandæ prolis impotentiam; cujus etiam unius gratia iniri debere conjugium, ut noſtros ſileam, inter paganos plures exiſtimarunt. Omnium inſtar ſit antiquiſſimus Philoſophus Ocellus Lucanus parte politicâ de naturâ univerſi textu 4. *Qui omnino*, inquit, *propter liberorum procreationem natura venerique non operantur*, διὰ πανδεποῖαν συναπτόμενοι ii certe præſtantiſſimam humani cœtus partem vehementi afficiunt injuriâ. Et poſt inſectatus eos qui cum poſſint publico bono prolis propagatione conſulere, ſteriles tamen moliuntur congreſſus, ſic habet: *Si vero filios tunc generare contigerit, hi ſane cum contumelia ac incontinentia geniti ſceleſti evadent & infelices, à diis, dæmonibus, hominibus, familiis civitatibuſque prorſus execrandi.*

IN viro, ſeu ob virium ſanitatiſque diſpendium : quid enim deficienti oleo novam apponas flammam quâ reliquiæ citius abſumantur? ſeu ob impotentiam eos qui forte conſequentur liberos, & inſtituendi, & adverſus

injurias temporum, quibus ætatis impar debilitas, muniendi. Quid ſi familiæ vix imperet ætate caducus?

Euripid. *Moleſta res eſt ſi homini ſeni liberi*
Contigerint: non tempeſtiva amplius ſunt nuptiæ;
Vxor enim ſponſi ſenis domina eſt.

Secundo: tamen ſi ſenex es & nuptiarum celebrandarum, quam vincere nequeas cupiditate teneris, haud juniorem accipito, nam ut generatim verum eſt quod tradit Euripides;

Γυναιχ' ἐχθρὸν χρῆμα πρεσβύτης ἀνήρ.
Inimicus mulieri vir ſenex:

Verissimum quod alibi tradit iſdem.

Πικρὸν νέα γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ.
Senex maritus uxori juveni ingratus eſt.

Et Theognides lepide.

Incommoda eſt uxor juvenis viro ſenis
Non enim gubernaculo inſtar navis regi poteſt,
Nec anchoris detineri, ſed abruptis funibus
Sæpius de nocte alium portum habet.

Ergo peridonea ſunt, atque ut naturæ votis ſic & familiæ commodis peropportuna quæ ætate ſenio minime gravatâ & debili ineuntur conjugia: corporis robur poſtulat & mentis, jugum iſtud; ſacro nexui inepti, qui ſeu corpore, ſeu animo imbecilles: ergo quâ ætate jungendi ſimul conjuges? Si Heſiodo fidem habes.

In oper. & dies. *Ætate matura uxorem domum ducito,*
Neque multo minor natu triginta annis
Neque multo maior.

E contra ſi audis Euripidem.

Virgo pubeſcens anno decimo quarto, nubat decimo quinto. *In Danaë.*
Et nunc iuuenes adhortor omnes
Ne in ſenectute nuptias celebrent,
Sed paululum in iuventute liberos procreent
Res eſt inimica mulieri vir ſenex.

PLATO, cum quo conſentire videtur Ariſtoteles, licet communes in ſuâ Republicâ vellet mulieres, mulierem venereis uti permiſit à vigeſimo ad quadrageſimum, maribus verò à trigeſimo circiter ad quinquageſimum quintum eo quod vigor corporis in iis ætatibus conſiſtit. *Quandocumque*, inquit, *aliquis quinque & viginti annos iam natus alios aſpiciens, ab aliiſque aſpectus adinveniſſe ſibi credit, κατὰ νοῦν, congruam genio ſuo conſentientemque ſocietatem ad communionem generationemque liberorum, intra quinque & triginta ætatis annos uxorem ducat.* *Ide Rep.* Certe tunc cum robore corporis jungitur feliciter mentis firmitas atque conſtantia, jungitur & ſufficiens rerum humanarum peritia prudentiæ parens, qua ſapienter domus adminiſtretur & regatur familia.

CERTE ſi verum eſt, quod penitus perſuaſum nolim, id quod à Menandro profectum exiſtimatur;

ὅπως μέγιστον ἐστι θηρίον γυνή;
Omnium maxima mulier eſt fera;

CERTE ætate adhuc facili adeoque & junior ſumenda eſt uxor, ut quam tunc longe facilius, & ad propriam quietem, familiæque bonum opportunius prudens cicurare poſſit maritus.

ATNE pariter juvenis ad nuptias idoneus?

Negant merito ſapientes idoneam ætatem ad ducendam uxorem quâ nondum perfectionem ſuam corpus ſit aſſecutum. Ut enim nec tunc ea occurrat mentis prudentiâ inſtructæ ſolertia quæ ad adminiſtrandam familiam requiritur, ſic nec corporis adfuerit ſtatus is qui celebrandis, ut decet naturæ myſtam hymenæi ſacris neceſſarius merito judicatur. Atqui nec is adeſſe vulgo creditur donec incrementum plane ſumpſerit corpus, quod vix ante vigeſimum quintum annum contigerit. Id monuit jampridem ante datum terris divinum Hippocratem, cui Ariſtoteles noſter haud pauca debere merito reputatur, illuſtris, quem jam laudavimus Ocellus Lucanus, eâdem parte Politicâ libri de naturâ univerſi textu nono, ubi poſtquam ſapienter monuit permulta eſſe quorum ſera cognitio mortalibus ſit utiliſſima βέλτιω ἢ ὀψιμαθία; inter ea maxime recenſet venerem quam ætate nondum maturis pronunciat pernicioſiſſimam: et ſane quam merito, ſeu adoleſcentiæ jucundam feſtivamque hilaritatem, ſeu etiam integram valetudinem tueri velimus, qui juniorem ab intempeſtivo venereorum uſu avocat, is & ejus gaudio & ſanitati, & toti naturæ litat.

Litat gaudio decoræque maxime hujus ætatis feſtivitati, dum doloris cauſam ſi non amovet penitus auferetve, ſaltem auſpicatiſſime
L.10.c.63. differt. Quid ita? *Ut bipedum ſolus homo animal gignit*, inquit illuſtris hiſtoriæ naturalis ſcriptor Plinius, ſic & homini tantum primi coitus pœnitentia, augurium ſcilicet vitæ à pœnitenda origine, infelix hominis quamvis omnium præſtantiſſimi animalis ortus quem genuiſſe pœniteat ipſum authorem. Pœnitet.

hominem ſacra naturæ celebrantem quod generet hominem & pœnituit Deum quod feciſſet hominem. Revera cum homini Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, ut advertit ex Tullio doctiſſimus ſæculi ſuperioris author, huic divino muneri ac dono nihil eſſe voluit voluptate inimicitius, quando in voluptatis (quam dolor conſequitur) regno nequeat virtus conſiſtere. Atqui tamen incredibilis hominum in voluptates ardor, quantus nec in ipſis feris reperiatur. Cæteris animalibus, inquit iſdem naturæ ſcrutator eximius: *ſtati ſunt per tempora anni concubitus, homini omnibus horis dierum noctiumque: reliquis ſatietas in coitu, homini prope nulla: in hominum genere maribus diverticula veneris excogitata omnia ſcelere naturæ, fœminis vero abortus; quantum in hac parte multo nocentiores quam feræ ſumus.* In quod reflectens eruditiſſimus Rhodiginus, Hiſce, inquit, voluptatum delinimentis, « quæ ſenſuum germina ſunt ut carerent, quoſ« dam ſibi oculos eruiſſe, exploratiſſimum eſt. « Alios in vaſtas ſolitudines conjeciſſe ſeſe, ceu« præſtabilius foret cum feris immanitate in« ſignibus convivere, quam inter homines qui « ferantur ratione præditi. Certe per quinque « ſenſus veluti per feneſtras ad animam uſque « penetratur. Hæc defigunt humi (ut inquit « Horatius) diuinæ particulam auræ. Nec enim « capi mentis arx poteſt niſi per hęc portarum « obicibus perfractis, & prorſum ſublatis ca« taractis, hoſtiles copiæ fuerint admiſſæ, « agminatimque irruerint ſcelerum incentiva « quibus cœleſtis animæ fulgor retuſus ſordeſ« cat collutuleturque. Si Circenſibus, inquit « Hieronymus, quiſpiam delectetur, ſi athle- «

Cæl. Rhodigin. l. 2. cap. 1.

Plin. ibid. Popilla Marci filia interrogata, quare beſtiæ marem tantũ admitterẽt quo tempore concipere volunt, nil aliud reſpondit, quam quia beſtiæ ſint. *Macrob. l. 2 Saturn. c. 5.*

» tarum certamine, ſi hiſtrionum mobilitate, » ſi formis mulierum, ſplendore gemmarum, » & id genus aliis, per oculorum feneſtras ani» mæ libertas capta eſt: & impletur illud Pro» pheticum, Mors intravit per feneſtras ve» ſtras. Equidem ſenſus corporum recte quis » dixerit, equos ſine freno currentes; ani» mam vero aurigæ modo currentium fre» na retinere obnixius, eximia eſt animæ exul» tatio, ubi multorum cura non anxie impli» citus, parvo acquieſcendum fueris arbitra» tus: mundum potentiamque ejus omnem » pedibus ſubjeceris. Tolle epularum & libi» dinum luxuriam: nemo divitias quæret: qua» rum uſus aut in ventre eſt, aut ſub ventre.

Exercit. 269. Sanitati quoque fauſtiſſime conſulit: bene enim Iulio Scaligero abſurdum videtur, quod Paulus in primo ait corpus Veneris exercitio augeſcere: robur enim minui quis neſcit? Sci-
Id docet. licet nulla virium major fiat exolutio nuſquam
Ariſt. l. de factâ majori ſpirituum jacturâ. Ideo ſalacio-
gener. ani-
mal. c. 18. ribus animalibus vitam breviorem ineſſe monet Ariſtoteles. Iuvat hunc ut tribunal veritatis cum Scaligero (ita eum vocat ibidem)
Pol. 7. c. 16. adire. Is in 7. Politic. *αἱ τῶν νέων συνουσίαι τὰ τῶν ἀῤῥένων σώματα βλάπτεσθαι δοκεῖ πρὸς τὴν αὔξησιν.* Antiquum erat inter Pytagorea effatum, *ἀπὸ τῶν κυάμων* à fabis abſtinendum: quod dictum ut bene advertit recens eruditus juxta ac
Comment in elegans Ocelli interpres & enarrator Carolus
text. 9. cit. Emmanuel Vizzanius Bononienſis, licet vulgo aſſumi contigerit, ac ſi à fabis monuiſſet à venereis per ea verba ſuos arcere voluiſſe Pytagoram certum nimis & fuſe probat Aulus Gellius, Ariſtotelis authoritate oſtendens à
Noct. attic.
l. 4. c. 11. paucis tantum Pytagoram abſtinuiſſe anima-

libus ac nullo frequentiori delectatum cibo quam faba, hoc affirmante Ariſtoxeno Ariſtotelis diſcipulo, indicans vocem *κυάμος* non à Pytagora pro fabis, ſed pro teſticulis acceptam, ſic dictis quia *εἰς τὸ κυεῖν δοκεῖ, καὶ αἴτιοι τοῦ κυεῖν* quod pariter tradit Laërtius. *In vita Pytag.*

Naturæ denique totius bonum feliciſſime procurat: namque cum hec immortalitatis ſit cupidiſſima, homoque individuis ſubinde cadentibus, quemadmodum alibi diximus non eam aſſequatur niſi per ſpeciei propagationem: is ſane naturæ gratus maxime fuerit, qui hocce opus feliciter aggrediatur: Atqui proſper fortunatuſque exitus vix merito ſperari poſſit, ubi ætas nondum matura ſatis: Cauendum, inquit Ocellus, ne diſſimilium imperfectiorumque fiat commixtio; *ἀνόμοιοι μὴ καὶ ἀτελεῖς*, nec enim, ſubjungit, arborum, nec animalium imperfecta bene feracia, ſed opus eſt ad tempus quoddam antecedere fructuum productionem, ut ex perfectis corroboratiſque corporibus ſemina & fructus fiant. Huic & præſcribit poſtea congruas pueris puelliſque ad virium robur acquirendum corporis exercitationes, nempe tum bene fructus pariunt arbores, cum *Textu 8.*

—— Primum truncos vexere valentes
Et vires habuere ſuas. *Virg. 2. Georg.*

Certe ut meminimus aliquando, Philoſophus Pol. 7. c. 16. inepta dixit juniorum connubia quæ felici prole fortunentur.

DUBIUM III.

De indole, moribus, & ingenio eligendæ conjugis.

Apud Stob. Serm 68. UXOREM ducturum monet Menander, ut aut pulchram eligat, aut probis laudabilibuſque moribus inſtructam: mihi ut (quod fuſe ſatis indicatum eſt) aut pulchra prorſus ſumenda vix videatur, ſic & bonis moribus ornata formoſæ certo certius eſt anteponenda: bene enim. *Apud eundẽ Ser. 67.*

Quando maritus uxorem domum ducit,
Non ſolum, ut videtur, uxorem accipit
Sed unà cum ipsâ quoque introducit
Aut bonum ſibi, aut malum dæmonem.

Revera quod tam vere Euripides, quam eleganter ſcribit mala muliere χεῖρον οὐδὲν nihil deterius: quamvis merito dubitarit quis (quod ſubjungit mox, eximie bonâ nihil melius.

SANE abſque laudabili animorum conſenſione, nec ſtare poſſunt civitates, nec quæ ſemel jecere fundamenta incolumes permanere amicitiæ: ergo nec à fortiori felices abſque ea eſſe poterunt nuptiæ. Potiſſima igitur hujus eſto de nexu conjugali cogitantibus ſollicitudo, quâ ſublatâ torus nuptialis, ut & domus innumerarum calamitatum ne καταστροφῶν dicam, theatrum, evadit, Atqui nec ejuſmodi conſenſio voluntatum, & affectuum, quæ tranquil-

tranquillitatis domeſticæ paciſque parens eſt; feliciſſima abſque utriuſque conjugis, aut ſympathicâ indole, aut rara ignotâque fere huicce ſeneſcentis mundi effœtæ ætati virtute ſperari queat. Quamobrem minus pulchritudinis quam indolis virtutiſque habenda ſapienti ratio.

Probitas fideſque conjugis, mores, pudor,
Placeant marito. Senec. in octavia.

Et tamen

Si verum excutias, facies, non uxor amatur: Juvenal. Satyr. 6.
Tres rugæ ſubeant & ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes oculique minores,
Collige ſarcinulas dicit libertus & exi,
—Iam gravis es nobis.

Quod ſi eligendæ uxoris indoles ſtudio ſingulari indaganda eſt, ſi ab eâ familiæ felicitas quæ ex affectuum voluntatumque concordiâ naſcitur, ſic pendet, ut abſque ea tranquillitatem pacemque domeſticam ſperare merito non liceat, & non minori diligentia mores inquirendi ſunt: quos ut prorſus exploratos habere operoſum maxime & difficile ex parentum moribus aliqua ratione colligas. Scilicet

Fortes creantur fortibus & bonis; Horat.
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

At nec ſuum ſemper finem natura obtinet, quæ ut in ſpecie, ſic in caracteribus hypoſtaticis ſeu corporis, ſeu animi à ſuo ſcopo nunnunquam deviat: hoc quis negaverit? at ut liberi à parentum ſpecie, ſic & à virtute animique & fortunatæ indolis muneribus ac donis

degeneres monſtra merito exiſtimantur, ſic & invita parens quæ ſummo cum dolore parit. Rari ergo luctuoſi iſtice ac ingrati matri fœtus quos partu infauſto enitatur. Quid ſi in domo bene inſtitutâ ubi ſanctitatis, morumque caſtæ integritatis viva offerunt ſeſe ſubinde exempla, debilia pravæ indolis in tenellis mentibus offocentur ſemina antequam radices agant, firmataque pravorum ſurculorum male ſint feracia. Habet hoc ſcilicet ætas tenera; quemadmodum monuimus ſupra, ut ceræ mollis adinſtar, aut tenelluli rami, facile omnem in partem flecti ſeſe ducique patiatur. Atqui ut multum valeant præcepta, plus tamen poſſunt exempla parentum, quibus à teneris conformare ſeſe liberi ſolent. Re vera vix pudicæ matris impudica filia, ut avaræ ac ſordidæ raro liberalis & ingenua: ergo ſapienti

Horat. *Dos magna parentum virtus.*

Ut aliquod pondus habeat parentum virtus cognita, proprium interim ſtudium haud bene omiſeris. Atque ut ingenia vivida, quæ exornat eruditio multum habeant illecebrarum, haud tamen hunc animi elegantis nimis, & ſcientiarum cupidi nitorem amaverit ſapiens in conjuge, quæ ubi altioribus animum paſcit, viliora domeſticaque faſtidire ſolet: ergo prudenter apud Euripidem Hippolytus:

Odi eruditam; ne mea unquam ſit domi,
Quæ plus ſciat quam mulierem ſcire expedit;
Namque eruditis ipſa maiorem Cypris
Aſtutiam indit.

Et Juvenalis.

Non habeat matrona tibi, quæ iuncta recumbit — *Satyr. 6.*
Dicendi genus, aut curvum ſermone rotato
Torqueat Enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes.

Quin & haud ita facile cum ejuſmodi muliebus commercium patiatur prudens conjux: quandoque ſcilicet docta nimis hujuſmodi fabulatrix.

—— Peccare docentes — *Horat. l. 3. Od. 7.*
Fallax hiſtorias monet.

Denique an religionis hadenda ratio ubi de ducenda uxore agitur? habenda ſane, ita ut ejuſdem religionis cultu, iiſdem ſacris inaugurata, & ſacramentis adſtricta eligatur: ergo nec Chriſtianus Paganam; nec Hæreticam ſumat Orthodoxus: conjugum enim eſt non ſibi tantum & Civitati, ſed & Deo gignere liberos. Timendum quoque merito, ne infidelis conjux hęreſeos labe affecta, conjugis veram fidem pelliciat. Vix denique integram ſperaverit fidem fidelis conjux à conjuge infideli, quam nec ipſi Deo hęc præſtiterit.

DUBIUM IV.

De fortunis, opibus & genere eligendæ conjugis.

Apud Stob. ſer. 68. Recte Theognides pravam quæ nimis viget conſuetudinem ſuggillans;

Canes & equos nobis ô Cyrne quærimus
Nobiles: necnon bonâ progenie placent:
Malam vero uxorem, malique patris filiam
Ducere non curat vir bonus, modo ei magnam dotem afferat.

Atqui tamen plus ad familiæ bonum prodeſt bene moratam, quæque domeſticas curas non faſtidiat uxorem ducere, quam genere claram, opibuſve præcellentem, quæ ut olim Gracchorum mater grande erigat ſupercilium, & domeſticarum rerum aut immemorem prorſus, aut minus ſollicitam ſe præbeat. Cum enim mulier omnis natura ſuâ ſit animal ſuperbum, eo inſipientius rationiſque magis expers, quod in imbelli queruloque corpore imperioſum gerat animum, tum inanem ejuſmodi mulierum faſtum, imperioſamque imbecillitatem nihil juvat magis, quam locuples patrimonium & dos pinguior, quâ inſoleſcunt ſæpius, & jugum ſuave, quod imponunt nuptiæ, petulantius excutiunt. Ideo Demænetus ſenex apud Comicum,

Argentum accepi, dote imperium vendidi. Plaut. in Aſin. act. 1. ſc. 1.

Antiphanes apud Srobæum.

—haud ullum eſt onus gravius

Revera quam uxor dotem ferens copioſam.

Quid ſi doti iſtice ampliori generis accedat claritas? an hunc immerito quis metuat ne obſcuriori lare ortum dotata virum regat conjux, ne nitido forte fidat adultero. Ergo qui bene fauſteque ac fœliciter inibit conjugium, is nec generis claritate, nec dote pinguiori tumentem ſibi ſeliget; parem præferet.

Si qua voles apte nubere nube pari Sen. 76.

Hæc ei pretioſiſſima dos quæ & propriâ uxoris ducendæ & majorum virtute conſtiterit. Hinc ubi Alcumena ſuæ caſtitatis fideique apud Comicū aſſertrix ita dubium Amphitruonem (merito ſane quia revera deluſum) affatur,

Non ego illam mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur, Plaut. in Amphitruone act. 2. ſc. 2.

Sed pudicitiam & pudorem, & ſedatum cupidinem,

Deûm metum, parentum amorem, & cognatam concordiam

Tibi morigera, atque ut munifica ſim bonis, proſim probis.

Amphitruo totus gaudio exiliens;

Delinitus ſum profecto, ita ut me qui ſim neſciam.

Et congaudens Soſias ſervus.

Næ iſta adepol, ſi hæc vera loquitur examuſſim eſt optima.

Atqui tamen eorum plerique, qui nuptias

ambiunt ſuo malo, ac detrimento quærunt ul-
tro probantve quod Paraſitus apud Plautum ad
propriæ commodum filiæ cunctanti imo &
renuenti ſuadere omni arte conatur:

Plaut. in perſ. act. 3.

Tace, inquit, *ſtulta, non tu nunc homi-*
num mores vides :
Cujuſmodi hic cum famâ facile nubi-
tur
Dum dos ſit, nullum vitium vitio verti-
tur.

Megadorus in Aulul. Act. 3. ſc. 5.

Sapienter ſane apud eumdem rerum huma-
narum peritus ſenex:

—Quæ indotata eſt, ea in poteſtate eſt
viri,
Dotatæ mactant & malo & damno vi-
ros.

Malo mactant quæ imperioſæ nimis, ſu-
perbæ, & tumidæ: mactant quę ut alia in-
commoda mittam, intolerabilibus ſumptibus,
ut bene adverterat ibidem prudens hic ſenex,
rem domeſticam ſi non exhauriunt penitus, at
ſane quam maxime labefactant. Quæ inani
familiæ ſuæ claritate, doteque pinguiori tu-
met, ſæpe nimis

Juvenal. Satyr. 6.

Prodiga non ſentit pereuntem fœmina
cenſum,
Ac velut exhauſtâ redivivus pullulet
arcâ
Nummus & è pleno ſemper tollatur
acervo
Non umquam reputat quanti ſua gaudi
conſtent

in Antip. apud Stob. ſerm. 68.

Ergo merito Euripides

Κῆδος καθ᾽ αὑτὸν τὸν σοφὸν κτᾶσθαι χρεὼν
Sapiens paris ſibi fortuna faciat affi-
nes.

In quem ſenſum apud divinum Platonem Athenienſis hoſpes: Qui ex bonis parentibus ortus eſt, eas nuptias contrahere debet, quas prudentes viri honeſtas ducunt. Atqui hi monent nec pauperum fugere, neque divitum affinitatem ſectari precibus oportere, ſed ἐπὶ πάντα ἰσάζῃ cæteris paribus pauperiorem ſemper honorare, cumque ipſo ſocietatem inire: Nam & civitatis familijs quę junguntur id conducit; Quippe quod moderatum eſt & mediocre, immoderato & excedente mirum in modum ad virtutem præſtat. Ergo quicumque ferocioris velocioriſque quam oportet ad agendum animi ſibi conſcius eſt, is det operam oportet ut quamquietiſſimorum parentum filiam ducat: & qui contra naturâ affectus eſt contrariam ſibi adſciſcat affinitatem. Sed una tamen ſit communis ratio nuptiarum, ut quiſque non jucundiſſimum ſibi ſed civitati utile ineat matrimonium. Etenim ſinguli ſemper ad ſimillimum ſibi, naturâ feruntur: unde civitas tota & divitijs & moribus inæqualis quammaxime redditur, ex quibus quæ minime nobis evenire vellemus, maxime civitatibus plurimis accidunt. Hactenus divinus Plato, quo patet non tantum ad privatam domeſticamque pertinere fœlicitatem, ut paris fortunæ ſortis & originis ducantur uxores; ſed & ad publicam. Quod religioſe ab Indis obſervari ſolitum laudat Nicoſtratus apud Stobæum; Quia, inquit, qui uxores ducunt initio neſciunt quales tandem futurę ſint moribus, Indi & ipſorum ſapientes hoc modo uxores ducunt, & numquam ſe falſos

l. 6. de legibus paulo post medium.

Serm. 68.

» aiunt : Nempe non propter opes & gloriam
» divitis filiam ducunt, ſed ipſam puellam e-
» juſque faciem & pulchritudinem ſtudioſe
» conſiderant, idque non ita ut nos, nec in-
» temperanter, ſed arte quâdam ſapienter.
» Benigni enim oculi ſummam animi pul-
» chritudinem comitantur, & fieri ſolet ut
» qui non excandeſcit nec facile iraſcatur, aut
» bile movetur, faciem ſplendidam ſerenamque
» habeat. Qui vero malignus & doloſus fue-
» rit, is ſtatim & oculis tranſverſe implacide-
» que intuetur, qui ſtolidus ac ſimplex eſt, pu-
» pillas & oculos patentes gerit ut aſini & o-
» ves. Cui ſupercilia conjunguntur, impro-
» bus eſt. Cujus ſuperficies in vultu non rubet
» ſed obſcura caliginoſaque videtur, hujus
» anima moroſa vixque uſquam hilaris. Hac-
» tenus Nicoſtratus.

Ex quibus omnibus nemini non perſpicuum erit, fœlices tunc nuptias, cum bene morata conjux, placidi faciliſque ingenii, ſortis conditioniſque circiter paris, ut & fortunæ. Ergo repetere non pigebit monitum Poetarum ingenioſiſſimi.

Si qua voles apte nubere, nube pari.

DUBIUM V.

De Polygamia & Monogamiâ, ſeu de pluralitate uxorum & conjugum.

DUPLICEM præcipuè quæſtio poteſt habere ſenſum.

PRIMO: An uni viro unica congruat uxor?

SECUNDO: An uni uxori unicus vir?

Ac quidem uni uxori unicum congruere virum, nocituram pluralitatem, patet, tum quia commixtio ſeminum impedit generationē ob diverſam temperiem, ut patet in ſcortis: tum quia negligeretur ab unoquoque conjugum fœtus quem dubitaret eſſe ſuum; tum quia inter viros perennes rixæ & zelotypiæ: ergo de primo tantum quæſtionis capite, de quo ut plurima, eaque eximia dici poſſint, pauca pro inſtituti ratione ſeligo.

PARAGRAPHUS UNICUS.

An uni viro unica conjux?

BRITANNIS multas ſimul uxores, eaſque communes fuiſſe author eſt Julius Cæſar. *L. 5. Belli Gallici.* Idem fere de Scotis meminit ſanctus Hiero-

nymus ſcribens adverſus Jovinianum. Hanc uxorum multitudinem & communitatem mulierum in ſuâ republicâ volebat Plato, ut & liberorum.

Polygamiam primo refello, mox ad communionem uxorum Platonicam deſcenſurus. Inter plura autem quibus oppugnatur polygamia.

Refellitur ut legi divinæ, juri naturali, moribus gentium & commodis, tam reipubl. quam familiarum adverſa.

Repugnare videtur legi divinæ: ſeu enim vetus, ſeu novum conſulamus Teſtamentum, Deo unicæ uxoris cum unico conjuge placuiſſe vinculum & nexum deprehendemus. Vnicam Evam Adamo dedit Deus: at cui opportunior fuiſſet uxorum pluralitas, naſcente tunc mundo quàm Adamo? Unde Chriſtus Phariſæis tentantibus eumque interrogantibus, an quacumque de cauſa liceret uxorem dimittere? »Non legiſtis, ait Salvator, quia qui fecit »hominem ab initio maſculum, & fœminam »fecit eos? Propter hoc, pergit, dimittet ho»mo patrem & matrem, & adhærebit uxori »ſuæ, & erunt duo in carne una: Itaque jam »non ſunt duo, ſed una caro: Quod ergo »Deus conjunxi, homo non ſeparet.

Matth. 19. *Geneſ. 1. & 2.* *1. Cor. 6. & Epheſ. 5.*

» Ast antiqui Teſtamenti Patres plures ha»buerunt uxores?

» Dicunt aliqui toleratum id à Deo in anti»quis Patribus, quamquam nec id ſine peccati »labe foret. Numerus conjugii, ait Tertullia»nus, à maledicto viro incepit. Primus La»mech duabus maritatus tres in unam carnem »effecit: quo videtur notatus violati primo inſ»tituti divini, quo duos tantum per conjugium

l. de Exhor. ad Caſtit.

in carne una futuros dixerat Deus. Divinam ſcilicet ordinationem à mundi incunabulis petere debemus, & æſtimare non à factis Patriarcharum, in quibus lumen naturæ debilitatum. Veriſſimum, ait Tertullianus; quodcumque primum, adulterinum quodcumque poſterius. Corruptas Lacedæmoniorum leges pravis moribus non melius putabat *Agis* Rex corrigi poſſe, quam ſi ad originem, & jacta à Lycurgo primordia revocarentur.

Dispensatum à Deo cum antiquis Patribus aiunt reliqui, ob bonum propagationis vel amplificationis generis humani. *Peccata*, inquit Auguſt. *alia ſunt contra naturam, alia contra morem, alia contra præceptum. Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed generandi causâ illis utebatur* (ſcilicet Jacob de quo loquitur:) *ſi morem, illo tempore & in illis locis hoc factitabatur: ſi præceptum nulla lege prohibebatur*; ſcilicet quæ tunc obligaret ob diſpenſationem divinam. *l. 2. contra Fauſt. c. 17.*

Repugnare & videtur juri naturæ, etſi non me lateat contrariũ ſentire nonnullos illuſtres Theologos: inter plures enim qui afferri poſsũt fines matrimonii, hi tres præcipui; generatio & educatio liberorum, mutuum adjutorium, & libidinis compeſcentia. His autem omnibus adverſa videtur polygamia. *Vt Durand. in 4. d. 33. Cajet.*

Generationi & educationi liberorum; licet enim copioſior ſoboles ex pluribus uxoribus ſperari poſſit, unde & privatum familiarum procuretur bonum, haud tamen ideo plures cives habebit reſpublica; imò pauciores quam ſi ſingulæ ſingulis conjungerentur. Quid ſi eâdem causâ tot explendis mulieribus unius viri impenſis & diviſis viribus, fœtus ex ſpiri-

tuum inopia imbecilliores conſequantur, qui minus proſperam reipublicæ collocaturi ſint operam? Amplius, eamne tam multis qui ex polygamiâ ſperarentur liberis educandis ſollicitudinem adhiberent parentes quam paucioribus?

Mutuo adjutorio, quod ex naturæ inſtituto eſſe tradit Philoſophus 8. Ethic. xii. Aliis
» quidem animalibus, inquit, eatenus commu-
» nicatio eſt, nempè ad generationis opus; at
» homines non ſobolis procreandæ causâ tan-
» tum ſimul habitant, ſed rerum etiam quæ ad
» vitam ſpectant: continuo enim officia diviſa
» ſunt, aliaque ſunt viri & uxoris: ſibi ergo mu-
» tuo opitulantur in commune ponentes pro-
» pria: atque ob id & utilitas & jucunditas in
» hâc amicitiâ eſſe videtur.

At ſi pluralitas uxorum inveharur, hanc amicitiam perfectam utilitate hácce & jucunditate condîtam ſperare vix liceat: quid ita? Amicitia ſumma qualis eſſe debet conjugum non patitur rivales.

Vid. Ariſt. 8. Eth. 6.

Concupiscentiæ denique videtur præbere ſi non incentivum, ſaltem fomentum, quia libidinem fovet non extinguit, ejuſmodi pluralitas uxorum, libidinem animi & voluntatis cum explendæ libidini carnis impar natura. Mitto & honeſtatem in polygamia non vigere; quin imo, cum ſcilicet vagis prius libidinibus ſerviens rudis populus, excitatas per eruditionem & doctrinam ſenſit rationis ſcintillulas;

Tum, inquit Lucretius,

Mulier conjuncta viro conceſſit in unum.
Caſtaque privata Veneris connubia læta
Cognita ſunt, prolemq; ex ſe vidêre creatam.

Quid ſi, quod amplius fuerit, conjugium typus fuerit ſacri Chriſtum inter & Eccleſiam nexus: at Eccleſia eſt una. *Epheſ. 2.*

Moribus gentium repugnat: Monogamiæ namque conſentiunt omnes meliorum gentium leges: à quâ ſi aliquæ præ ruditate & ignorantiâ defecerunt, facile ad meliorem ſenſum redierunt.

Commodis denique & reipublicæ & familiarum adverſa eſt, ut enim dixi, nec plures imo pauciores reipublicæ cives procurat, & alioqui debiliores ſuſtinendiſque publicis oneribus vix pares. Ut vero aliunde plures familiæ liberos procuraret, rectam educationem impediret, & familiæ pacem atque tranquillitatem.

Rectam educationem: ut enim contingeret maritum unam diligere præ alterâ, ſic & ejus maxime charos haberet neglectis reliquis liberos.

Familiæ pacem & tranquillitatem ob frequentia inter uxores jurgia. Pariter frigidior uniuſcujuſque uxoris erga conjugem anima, quæ ſe diviſo tantum affectu diligi merito exiſtimaret. Hinc in marito zelotypia quæ conjugiorum peſtis. Herodes uxorem ſecum vivam ſepeliri voluit, ne quis ejus poſt ſe pulchritudine frueretur: Lepidus mœrore confectus occubuit cum incidiſſet in litteras, quæ ſuſpicionem de adulterio uxoris procrearent. Hungarus quidam gladio confodit formoſam uxorem ne in poteſtatem hoſtium veniret. Unde S. Hieronym. notat libentius virum audire uxorem interfici quam pollui: & Juriſconſulti æquiori animo patrem ferre mortem filiorum quam uxoris adulterium. Quod

Ioſeph. 15. antiq. Iud. c. 4. & 11. Plutarch. in Pomp. Nicet. 4. Annal. In Amos. c. 7. In l. Lucius de Leg.

Ovid. 2. de arte amãdi vis zelotyp. apud virg. Æneid. 4, Ovid. Met. 6. Senec. in Elect. & Agam. Terent. in Phorm.

ſi in viro zelotypia tam potens, & eo major in mulieribus, quo hæ affectibus naturalibus magis indulgent, unde & à Poëtarum genio furori leonino comparata fu erit: ideo Chremes apud Comicum.

Vereor ne uxor aliqua hoc reſciſcat mea
Quod ſi ſit uti me excutiant, atque egrediar domo,
Id reſtat; nam ego meorum ſolus ſum meus.

Hactenus contra Polygamiam pagnavimus, quæ ſi minime probanda, & à fortiori uxorum communio Platonica.

Primo quia bonum reipublicæ poſtulat propagationem prolis quia civium multitudo mumentum publicum: atqui mulierum communio multum obeſſet propagationi prolis: non pariunt enim nec concipiunt quæ diverſæ diſpariſque temperiei admittunt ſemina. Ideo ſcorta ſterilia ſunt: ergo mulierum communio ſocet Reip.

Secundo quia mulierum communio & liberorum, multum officit rectæ educationi prolis, ea enim poſita nemo peculiarem haberet ſuorũ curã, ſicq; unus fideret alteri; queãdmodũ in opulentâ domo in quâ ob famulorũ multitudinem negligentius domeſtica munera adimplentur: ſcil. tunc nullus foret certus de ſuis liberis, ſicque minus educationis ſollicitus.

Tertio, poſita communione mulierum, contingeret ut filij ſævirent in parentes, fratres & conſanguineos, quos nempe non cognoſcerent.

Denique uxorum communio perimeret

temperantiam, & foret libidinis incentivum, quæ varietate maxime ſtimulatur.

HANCCE communitatem acriter & nervoſe inſequitur Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus: dum ita loquitur. Uxorē inquit Socrates, «
* propriam nullus habeat: Matrimonia enim «
cunctis debent eſſe communia. Sic namque «
major erit concordia civitatum, ſi omnes «
viri fœminis ſine diſcretione omnibus miſ- «
ceantur, & omnes fœminæ ſe omnibus viris «
ſine diſtinctione ſubſternant, ac ſic fiant om- «
nes viri omnium mulierum mariti, omnes «
fœminæ virorum omnium uxores. Num- «
quid, pergit, ullum umquam aut phreneti- «
cum, aut dæmoniacum, variâ inſaniarum «
labe furioſum tale aliquid locutum eſſe agno- «
vimus? Tu dicis maxime Philoſophorum, hac «
ratione omnes viros eſſe fœminarum omnium «
maritos & omnes fœminas virorum omnium «
uxores, & parvulos omnes omnium filios: at «
ego hac ratione dico neque ullum virum ul- «
lius fœminæ maritum, neque ullam mulie- «
rem ullius mariti uxorem, neque ullum pig- «
nus ullius parentis filium. Ubi enim promiſ- «
cua omnia & confuſa ſunt, nemo eſt qui ſuum «
aliquid poſſit vindicare. Nec ſuffecit ſapientiſ- «
ſimo, ut quidam aiunt, Philoſopho docere hoc, «
niſi ipſe feciſſet; uxorem enim ſuam alteri viro «
tradidit. Scilicet ſicut etiam Romanus Cato, «
ideſt alius Italiæ Socrates. Ecce quæ ſunt & «
Romanæ & Atticæ ſapientiæ exempla: omnes «
penitus maritos, quantum in ipſis fuit, leno- «
nes uxorum ſuarum eſſe fecerunt: Sed tamen «
vicit Socrates, qui de hâc re & libros condi- «
dit, & memoriæ hæc pudenda mandavit: plus «
habet unde gloriari præceptis ſuis poſſet. «

l. 8. de Gubernat. Dei. Quem loquentem inducit Plato.

» Quantum ad doctrinam ſuam pertinet Lupa-
» nar fecit mundo. Injuſte damnatus dicitur
» à judicibus, & verum eſt. Certius enim hæc
» eum talia prædicantem genus damnaret hu-
» manum, ſicut abſque dubio damnavit. Nam
» cum in hâc re doctrinam ejus omnes repudia-
» verint, omnes eam non ſolum ſententiæ au-
» thoritate, ſed quod multo majus eſt, vitæ elec-
» tione damnarunt.

Aies: Poſita hac communione mulierum maxima inducitur æqualitas in civitate: ergo procuratur ejus bonum.

Nego conſequentiam, imo poſtulat bonum civitatis ut inæqualia ſint munera & officia, inæqualis conditio: ſicut enim corpus organicum ex variis partibus heterogeneis coaleſcit; quarum diverſa conditio & operatio; ſic & corpus politicum ut civitas ex hominibus diverſæ conditionis emergit, qui variis reip. muneribus gerendis ſint idonei.

Ais iterum: Poſita uxorum communione maximus procuratur amor, maxima unio: quælibet enim mulier de quolibet dicere poterit: hic eſt meus: ergo maxime conducet ad bonum publicum.

Nego antecedens: ut enim diximus quæ communia ſunt ea minus chara quam quæ propria, ut nemo non experitur: at communes forent liberi. Deinde cum naturaliter nobis blandiamur, ſpernerentur & derelinquerentur deformes & ſtupidi; imo & mediocres quos ſuis beneficiis natura non cumulaſſet: quævis enim mulierum hunc non agnoſceret nec putaret eſſe ſuum.

DUBIUM VI.

De liberorum educatione & inſtitutione.

An mutili fœtus ſint offocandi, vel nutriendi?

NUTRIENDI ſane: quos occidere ut immanitas foret ac barbaries intolerabilis, ſic & ſummum nefas: namque & innocentes ſunt: vetat autem innocentis occiſionem Deus: & plantæ atque belluæ fœtus etiam mutilos nutriunt: ergo à fortiori & nutrire debebit homo.

AIS: Licet homini ut hortulano amputare mutilos ramos ab arbore: ergo & licebit mutilos liberos è medio tollere.

NEGO paritatem: homines enim plenum habent in plantas & alia animalia dominium; non habent autem in innocentes.

INSTAS: Illi ſunt inutiles: ergo reſecandi ſicut exſcinduntur rami.

NEGO antecedens; ſuos enim habent licet forte ignotos uſus: quid enim fruſtra natos dicemus quorum originem ſic Deus ordinavit? Præterea ſæpius experientia comprobatum eſt, eos quos natura corpore imbelles fecit & mutilos, hos ingenio ſupra alios locupletaſſe: at vires mentis corporis viribus ſuperiores.

An ſaltem, inquis, licet procurare abortum?

Non licet: non enim licet naturę violare leges, non licet & violare jus alterius: atqui ex naturæ legibus materia illa animanda eſt, violaturque proinde ipſius jus ſi vita privetur: ergo non licet procurare abortum.

An ſaltem licet ubi ingens liberorum copia, aliquos exponere?

Nec licet: qui enim dat eſſe debet & dare conſequentia ad eſſe, hoc natura dictitat & ratio; belluæ enim omnes ſuos fœtus v.g. felis catulos alit proprio lacte; ne unum quidem à ſe patitur auferri.

Nec timendum ne tot liberis nutriendis deſint neceſſaria: qui enim id metueret, divinæ providentiæ reluctaretur: quæ aviculas ſervat, nutrit & alit, quę neque ſerunt neque metunt, ut loquitur Chriſtus Matth. 6. re vera non raro feliciores florentioreſque deprehenduntur familiæ in quibus ingens liberorum multitudo, Deo ſic ſuaviter providente.

An publica liberorum inſtitutio præſtet privatæ?

Institutio liberorum vel eſt corporis, vel ingenii: Illa dicitur gymnaſtica, hæc litteraria: illa complectitur palmariam, ſaltatoriam, venaticam, equeſtrem, militarem, &c. hæc liberales diſciplinas: quęritur utrum expediat, nempe quod fiant domi & privatim vel palam & in publico: v. g. an melius ſit domi paternæ liberalibus vacare ſtudiis, quam in publicis gymnaſiis.

THESIS.

INSTITUTIO *publica longe anteponenda eſt privata.* Hoc fuſe probat & eleganter Quintilianus. *l. 1. inſtit.*

PROBAT Philoſophus quia bonum publicum, non eſt adminiſtrandum privatim, ſed publice: atqui inſtitutio juvenum bonum eſt publicum: juventus enim ſeminarium eſt Reipubl. ergo debet eſſe publica.

ET REVERA cum puer privatim inſtituitur, aut felicem habet indolem aut infelicem: ſi infelicem, torpeſcit: ſi felicem, ſupra modum intumeſcit, quia cum nullos videat ſibi ingenio & eruditione pares, natura ad ſuperbiam inſtigante omnibus ſe putat ſuperiorem: è contra cum in publicis ſtudet gymnaſiis, & communem terit pulverem, faſtum cohibet alios videns vel pares vel ſuperiores: animos erigit ſi timidior, aliorum excitatus exemplis: ergo

SILEO innumera alia commoda quæ publica parit inſtitutio: quid enim melius & ad maxima quæque æmulatione potentius? hanc publica excitat inſtitutio non privata: quid amicitia in vita optabilius? at nulla major neque firmior quam quæ à pueritia contrahitur, ut quæ experientia teſte inter ſtudiorum ſodales ad ultimam vitæ metam & periodum extendatur: quid mirum ſi tam diuturna tamq; conſtans amicitia quam ſincerior animus, & ab omni fuco in ætate maxime ſincera liber contraxit, & quæ occultiſſimos cordis viſcerumque receſſus pandere geſtit.

AIS primo: Melius eſt habere ſemper eundem præceptorem, at in privata inſtitutione

iſdem habetur ſemper, non autem in publica, in quo ſubinde mutatur.

Nego primo majorem: ut enim non eſt melius eodem ſemper uti cibo infanti, ſed lacte primo, mox ſolidioribus cibis pedetentim nutriendus eſt: ſic & pueri primo tenuiori doctrina, deinde pedentim ſolidiori & altiori paſcendi ſunt; at iſdem præceptor minus idoneus eſt utrique inſtillandæ, vix enim reperire ſit aliquem præceptorem, qui æqua facilitate & felicitate ſcientiarum calleat elementa, & faſtigia teneat. Uno verbo qui maxime aptus ad prima Grammaticæ Rudimenta docenda, is raro Phyſicis, Mathematicis, Medicis & Theologicis meditationibus & inſtitutionibus idoneus: & vice verſa.

Distinguo ſecundo: Cæteris paribus melius eſt, eſto: non paribus, nego: at in inſtitutione publica ſunt peculiaria commoda, ut ſocietas, amicitia, æmulatio: ſicut enim elicitur ignis è ſilice, ſic ex mutua ingeniorum animorumque colliſione lux & ardor enaſcuntur.

Ais iterum: Nemo ita curat aliena ac propria: ergo melius inſtituentur pueri á parentibus quam ab aliis.

Distinguo conſequens: Melius inſtituentur cæteris paribus, concedo: id eſt poſita æquali aptitudine, eruditione, experientia, otio & diſcretione: non paribus, nego: at in parentibus non eſt tanta aptitudo & eruditio, ut experientia conſtat, in inſtituendis liberis, quia hoc non funguntur ex profeſſo munere & alienis negotiis implicatos habent animos: è contra vero publici pædagogi in id tantum animos induſtriamque collocant. Item parentes vel nimiâ

indulgentia obcæcantur, vel ſeverius agunt cum liberis & naturali potius impetu quam ratione; præceptores autem juſtam ſervant diſcretionem & ſeveritatem. Parentum ergo eſt ſuorum inſtitutionem publicis committere pręceptoribus, eorum progreſſus eſſe ſollicitos, de eo percontari præceptores. Et ſi ſuppetant facultates, privatum publico ſociare præceptorem.

Atqui hæc ſelectiora, inter alia longe plura, quæ excitari poſſunt in materiâ Oconomices dubia. His addi poſſent aliqua ad indiſſolubilitatem conjugii, ad officia liberorum & ſervitutem pertinentia. Hæc ut ad Politicas inſtitutiones properemus paucis expedio.

Primo itaque, ex inſtitutione Dei indiſſolubile eſt conjugium. Quod Deus conjunxit « homo non ſeparet. Meritò ſanè: ſi enim con- « jugalis nexus ad libitum dirimi poſſet, nulla foret liberorum educatio & inſtitutio, quod fini conjugii maxime adverſatur.

Secundo: Quicquid ex memoris animi ſenſu agant filii, quodcumque parentibus officium exhibeant, nuſquam par pari reddere poſſunt, ut bene docet Philoſophus. Quid ita? principium meriti non cadit ſub meritum; ideò nec Chriſtus mereri potuit unionem hypoſtaticam: At principium bene merendi de parentibus in filio, à parentibus eſt; quicquid enim habet, quaſcumque poſſidet ad bene & gratè agendum facultates, acceptas parentibus debet.

Equidem ſi filius paganum patrem ad fidem convertat?

Quid majus erit beneficium ſecundum ſe: quia vita gratiæ quam procurabit filius, præſtat

vitæ naturali quam debebit patri: non ſecundum modum, quia tenetur filius id præſtare erga patrem; non tenebatur pater eum gignere: unde filius agit ex debito, pater autem ex mero liberæ voluntatis arbitrio.

Tertio demum, ut aliqua ſit ſervitus voluntaria: eaque licita, quia volenti non fit injuria, ut & legalis introducta per jus gentium, cujuſmodi ſervitus jure belli, quia ſi licet victos occidere hoſtes; licet & à fortiori ſervare & in captivitatem redigere, nulla tamen eſt naturalis; quia ut bene tradit Imperat. Juſtinianus; omnes liberi naſcimur, omnes noſtri juris.

Sunt aliqui fateor, rudiores à naturâ, robuſti corpore, imbelles mente: at ut hac ratione ad aliis ſerviendum ſunt magis idonei, haud tamen in ſervitutem neceſſario redigendi: quid ita? hâc, ut alias ſileam, ratione aperiretur via uſurpationibus, tyrannidibus, uſurpationibus: qui enim ingenio putarent ſe excellere aliis, illi in horum opes involarent tanquam ſuas, quos & in ſervitutem jure poſſe ſe adigere arbitrarentur. Hinc perpetuæ interneciones & clades: nimirum.

Qui velit ingenio cedere, nullus erit.

ELEMENTA POLITICA.

VIX agit ex ratione qui alienæ impatiens ſequitur ſuam, nec liberior magiſque ſui juris quam qui ſapientis gubernatoris monita juſſaque exequitur. *Quis libere vivit*, inquit Tullius, *niſi is qui recta ſequitur, qui gaudet officio, qui legibus paret non propter metum, ſed ea ſequitur, ac colit?* Hinc divinæ iſtiuſce, quam aggredimur diſciplinæ, ſeu artis præſtantia ſummaque neceſſitas.

Quem tractabilem maxime præſtare debebat ratio, moroſum effeciſſe videtur hominem, atque ut proprij ſenſus tenaciſſimum, ſic & qui alterius jugum maxime refugiat. Quot videlicet hominum ſenſus, quot quamque varij oppoſitique affectus? Coërcenda ergo fuit hæc ſentiendi, agendique facultas liberior: coërcenda authoritate ſuperiori, quæ à ſupremo numine, ſeu in Principem, ſeu in Optimates, ſeu in totam communitatem derivata, ſingulos certis legibus aſtringeret.

Humana ergo ſocietas duobus continetur: imperio & obſequio: utrumque ſi arduum, bene imperare certe omnium perdifficillimum: hinc cum fortunæ benignioris aurâ

artem poſtulat ſingularem, prudentiamque pene divinam: Ars imperandi eſt Politica princeps: ars bene obtemperandi ad bonum publicum obſequens; illa viris principibus, hæc ſubditis neceſſaria,

Ut ergo bene gubernare res ardua maxime & præclara, ſic & artis recte adminiſtrandi origo divina prorſus eſſe debuit atque cœleſtis: eſt enim quædam divinæ providentiæ imitatio & participatio, nempe ut divina providentia ſingula per certa media, & quaſi vias ad ſuam beatitatem perducere ſatagit, ſic & ars iſta certis mediis publicam felicitatem procurare nititur & aſſerere: hinc æterna ſapientia, Proverb. 3. *Per me reges regnant & legum conditores juſta decernunt.*

Ars iſta dicitur Politica ἀπὸ τῆς πόλεως, id eſt à civitate: civitas autem vel ſumitur pro tota vrbe, vel pro parte vrbis præcipuâ, in qua jus à prætoribus aliiſque judicibus redditur, vel proprie pro Republica, ideſt cœtu hominum ſub eiſdem legibus, eodémque imperio viventium: ſic tota Gallia una eſt civitas, quia omnes Galliarum incolæ ejuſdem Regis Christianissimi poteſtati ſubjiciuntur. Sic tota Eccleſia una civitas, cujus caput Christus: ideo quia omnes mortales unius Dei Optimi Maximi ſubduntur imperio; totus mũdus vere una civitas; & quæ occurrit civitatum diſtinctio, ea in ordine tantum adſubalternam poteſtatem, non ad primam agnoſcenda, nempe quæ ſingularum provinciarum Galliæ ad Regem, eadem, imò major omnium regnorum imperiorumque ad Deum ratio. Habent illæ Proreges ſuos ad uno Rege cujus ab arbitrio pendent commiſſos. Habent & plures

propriſas

proprias conſuetudines & leges: ſic & omnes mundi ditiones ſi ſuas habent eaſque diverſas leges, ſi adminiſtratores ſuos aut principes: hi delegatâ tantum poteſtate, & à Summo Principe acceptâ potiuntur. *Principem*, inquit Plinius, *dat Deus qui erga hominum genus vice ſuâ fungatur.* Et Imperator Iuſtinianus, *Imperium*, inquit, propterea Deus de cœlo conſtituit, ut difficilibus imponat, quæ apud eum ſunt bona, & leges aptet ſecundum naturæ varietatem. Ad hoc forte alludens Poëta. *In Paneg. ad Trajan. Novel. 73. parag. 1.*

Omne ſolum forti patria eſt, ut piſcibus æquor.

DUAS *Reſpublicas*, inquit Seneca, *animo complectamur, alteram magnam & vere publicam, qua dij atque homines continentur, in quâ non ad hunc angulum reſpicimus aut ad illum, ſed terminos civitatis noſtræ cum Sole metimur: alterum cui nos aſcripſit conditio naſcendi: hæc aut Athenienſium erit, aut Carthaginenſium, aut alterius alicujus urbis quæ non ad omnes pertinent homines, ſed ad certos. Quidam eodem tempore utrique reipublicæ dant operam, majori, minorique, quidam tantum minori, quidam tantum majori. Huic majori reipublicæ, & in otio deſervire poſſumus.* *lib. de otio ſapientis c. 31.*

JAM vero Politica pro materia civitatem habet, ſeu cives quibus non tantum intelligi velim ſubditos, & obtemperantes, ſed & adminiſtratores ipſos, Principes & qui gubernacula imperii tenent: pro formâ vero rectam civium ordinationem, pro fine publicum bonum, publicam felicitatem, quæ tunc ut dicemus ſuis numeris omnibus fuerit abſoluta, ubi cum abundanti rerum omnium ad communes vitæ uſus neceſſariarum copia, ubi cum

egregiarum litterarum ſtudio atque ſplendore, vitutem prælucente Principis exemplo colent ſubditi, concordi fruentur pace, ſecuro interim à quovis hoſtium molimine imperio.

Ergo ut ejuſdem eſt animæ totum informare corpus, movere ac tueri: ſic & ejuſdem Politicæ munus erit omnes cives idoneis ad conſequendam publicam felicitatem præceptis imbuere. Habet idem corpus partes principes, quæ ut ad vitam ſummæ ſunt neceſſitatis, ſic & publica obeunt munera, unde dicuntur officiales. Sic ſanguinem elaborare creditur hepar, ut & ſpiritum naturalem, quem in univerſum corporis habitum, in partes omnes per venas ad nutritionem traſmittat. Sic ſpiritum naturalem defœcatiorem factum in vitalem tranſmutat cor, quem per arterias omnes ad vitam ubique fovendam incolumem emittit. Sic ſpiritus hujuſce vitalis ardorem nimium ubi cōtemperavit cerebrum, ſpiritum cudit animalem, qui deinde per nervos ceu tubos atque canales ad omnia ſentiendi organa; ut & muſculos diſcurrat. Inter reliquas partes, ut aliquæ ſint famulantes hiſce principibus, ut pulmo cordi, lien hepati: ſic & nulla ſit quæ hiſce vitam, ſenſum, atque motum non debeat. Eadem ratione in civitate, ſeu in ſocietate civili, imperant aliqui, morem gerunt & juſſa exequuntur alii; omnes una eademque Politica informare debet, & ad publicam felicitatem aſſerendam erudire, ut eadem anima per univerſam corporis ſubſtantiam diffuſa omnes partes afficit & vegetat. Atque ut hæc in diverſis partibus pro temperiei diverſitate & conformationis, varia obit

munia, imperat in cerebro, exequitur in membris & artubus; ſic & eadem Politica erga omnes cives, ceu civitatis incolas & membra ſe habet, ut in principibus, aliiſque penes quos eſt ſumma rerum, agenda demonſtret atque jubeat, in cæteris juſſa adimpleat. Tunc felici potitur humanum corpus ſanitate, ubi ſingulæ partes & facultates ſuis rite defunguntur muneribus: vel unâ feriante impeditâve ad alias noxa perveniat neceſſe fuerit. Sic & Reſpublica tunc felix atque beata ubi ſinguli cives publici boni, quod in omnibus procurare nititur Politica, amore incenſi Politicæ, ſeu jubentis in Principibus, ſeu obſequentis in reliquis dictamini pręceptiſve auſcultabunt.

In id itaque tota incumbit τέχνη πολιτικὴ ut publica inducatur aſſeraturque felicitas: obtinetur aſſeriturque cum nemo ad eam non contendit. Nemo pro ea feliciter non certet, qui ſuo fungatur rite officio. Omnes eodem fungi nequeunt; imperent aliqui, ſerviant cæteri neceſſe eſt & morem gerant. Sic enim ſervatur pax integra, ſic votorum conſenſio ut & voluntatum; quâ nihil ad felices exitus auſpicatius & potentius: ergo & officia certa erunt imperantium, alia ſubditorum: ſuo ſubditus non defuerit officio, cum aliunde virtutis, quam inſpirat Ethica univerſalis & edocet, ſtudioſus, bono Principi paruerit: ergo ſumma totius politicæ in Principis informatione poſita.

Præcipere *qualis eſſe debeat Princeps, pulchrum quidem ſed oneroſum, ac prope ſuperbum,* inquit Plinius: ſic Regum auguſta ſanctaque Majeſtas ſubditorum perſtringit animos, menteſque percellit, ut Principem ceu Solem Ep. 18. l. 3.

næ ignorantiæ abyſſis formatam nebulam juſtitiæ veritatiſque Solis CHRISTI effuſo lumine radiiſque diſcuteremus.

QUIA tamen, quod ut in toto noſtræ Philoſophiæ Syntagmate, ſic & in haccee inſtitutione hominum in uno quoque vitæ genere degentium prꝑſtitimus, ſic noſtram huicce materiæ ſcribendique generi collocandam voluimus operam, ut philoſophicum ſtadium emetientibus maxime prodeſſemus: ideo huicce Principis ex TACITO inſtitutioni à nobis notis illuſtratæ, quod ſcribendi genus doctioribus ſit accommodatius, Politicæ materiæ & tractationis Idæam, eodem ordine, eádemque methodo qua Monaſticas, Oeconomicaſque inſtitutiones ſummatim tradidimus, præmittendam ducimus, in qua & de Principe pro officio pauca attingemus. Itaque, ut in aliis de fœlicitate Politicâ primò, mox de mediis ad ipſam: hæc autem commodius executi nobis videamur, ubi quæ de regimine in univerſum moventur dubia breviter excuſſerimus. Ideo ſit

AD

ELEMENTA POLITICA

APPARATUS.

DE REGIMINE PUBLICO in univerſum.

l.3. de leg. in init. EGREGIE ac ſapienter Tullius leges laudaturus, ubi populo præeſſe Magiſtratus, quemadmodum & Magiſtratibus leges, ubi Magiſtratum legem eſſe loquentem dixit, legem autem mutum Magiſtratum: *Nihil*, inquit, *tam aptum eſt ad jus conditionemque naturæ quam imperium, ſine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum genus univerſum ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.* Revera omnia corpora ſerviunt animalibus, omnia animalia homini, homo Deo. Impreſſum experiri creduntur cœli reliqui à primo mobili impetum: inſita naturæ ſublunari fœcunditas ætheris influxibus excitatur & promovetur: ipſeque homo, quem delicias ſuas voluit Deus, abſque Sole non generat hominem. Ideo recte inclytus Imperator, Imperium de cœlo conſtitutum agnoſcit. *Inde*, inquit Tertullianus, *eſt Imperator unde & homo antequam Imperator: inde poteſtas illi unde & ſpiritus.*

Ex δὲ Διὸς βασιλῆες

Ex Iove ſunt Reges. Callimach.

PRINCIPIBUS, ait Tacitus, *ſummum rerum iudicium dii dederunt; ſubditis obſequii gloria relicta eſt:* Servire ſcilicet Deo regnare eſt: ergo & glorioſum obſequi principibus; qui, loquente eodem, *ſunt inſtar Dei: Si ſanis hominibus*, ait Seneca, *publica privatis potiora ſunt, ſequitur ut is quoque charior ſit in quem ſe reſpublica convertit:* At *populus in principem omne imperium & poteſtatem concedit*, ait Juſtin, ideo *legis habet vigorem, quod Principi placuit*, inquit iſdem ſacratiſſimus Imperator. 4. Annal. 3. Annal. 1. de Clem. c. 4. Inſtit. 1. tit. 2.

Ex quibus facile intelligitur regimen publicum, ſeu imperium ex ſuavi Dei diſpoſitione manaſſe; quod & docet Apoſtolus, qui divinæ ordinationi reſiſtere tradit eos qui reſiſtunt imperantibus.

CERTE ut monuimus initio hujuſce partis, coërcenda fuit facultas illa liberior, quâ cuique agere liceret quæcumque vellet: hâc enim conceſsâ obſcurum chaos & miſera exoriretur confuſio, quâ ut bene monet Sophocles tetrius nullum eſt malum, quæ domos urbeſque perdit: at nulla alia ratione coërceri potuit quam per imperium, ſeu regimen publicum, quod ut pote nihil ſit aliud quam certus ordo in parendo & jubendo, ut bene definit J. Lipſius: hoc enim ordine ſemel poſito conſenſio naſcitur voluntatum: idem ſcilicet volunt ſubditi, quod imperans, quo nihil ad proſperos eventus fortunatoſque exitus potentius eſſe poteſt. Ideo *ordo iſte*, ut appoſite loquitur Senecæ verba uſurpans iſdem elegans Politices ſcriptor: *vinculum eſt per quod Reſpublica cohæret: ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia* Civil. doctr. lib. 2. Senec. lib. 1. de Clement.

trahunt : *nihil ipſa per ſe futura* , *niſi onus & præda* , *ſi mens illa imperii ſubtrahatur.* Circæa fuerit & virga imperium, ut eleganter ex Livio ſubjungit, quæ *è ferocibus univerſis*, *ſingulos*, *ſuo quemque metu obedientes facit.*

Liv. l. 6.

CUNCTAS *nationes & urbes*, ait TACITUS, *populus aut primoers*, *aut ſinguli regunt.* Ideo triplex imperii forma, ſeu reipublicæ gubernandæ ratio, nempe

MONARCHICA in qua penes unum eſt auctoritas. Si vir imperat, dicitur Androcratica, ſi mulier Gunæcocratica.

ARISTOCRATICA in qua penes Optimates.

DEMOCRATICA in qua eſt penes totum populum.

Ex his fiunt regimina mixta. Tale erat Romanum ſub Conſulibus ex Ariſtocratia & Democratia: tale in Anglia & Polonia ex Monarchia & Ariſtocratia.

AN MONARCHIA PRÆSTET ARISTOCRATICÆ VEL DEMOCRATIÆ?

l. 11. c. 17. Naturâ commẽta eſt Regẽ: quod ex aliis animalibus licet cognoſcere, ut ex apibus. *Senec. l. 1. de Clem.* Quarum regi ampliſſimum cubile eſt, medioque & tutiſſimo loco. *Juſtin. l. 1.*

PRÆSTAT.

PRIMO: id natura indicat. Apes teſte Plinio regem unum habent totius gregis moderatorem: *Greges & armenta unum habent rectorem*, inquit ſanctus Cyprianus, probans unum eſſe Deum: Terra unico ſole illuminatur; *& in principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat.* Hiſtoricus.

SECUNDO,

Secundo: Illud regimen præſtantius eſt in quo plura & majora commoda, pauciora vero incommoda: atqui in regimine Monarchico longe plura & majora ſunt commoda: magis viget juſtitia, quia aut rex ipſe jus dicit qui nullius metu, vel gratia moveri poteſt, vel commiſſi à Rege, & ii ab injuſto, metu principis, deterrentur: major quoque eſt ratio & conſilium quia ſapientiſſimos quoſque princeps à conſiliis habere poteſt: major cura, quia Remp. ſpectat ut proprium bonum: è contra vero in aliis formis regendi, vel pronior eſt injuſtitia, quia vel timent ab invicem Optimates, ſicque dum gubernacula tenent, augendæ rei familiari impenſius ſtudent, vel plebem ſubditam divexant. Quod ſi jus reddit populus, quid non merito timendum, ubi affectus magis viget, quam ratio? unde & hæc imbecillior, ut & quæ prudentiæ individua comes taciturnitas: quid ita? plures ejuſdem arcani participes, ergo nullum arcanum: languidior denique cura: quia minus curamus communia quam propria: Bonum autem publicum eſt bonum proprium Regis, non autem cujuſque Optimatis vel plebeii: ergo regimen Monarchicum optimum eſt.

Nihil habet confuſi aut æquale popularis ſtatus. *Thucidid. in orat. Athen.*

Confirmatur à pari: Regimen mundi Monarchicum eſt; regimen etiam Eccleſiæ ex inſtitutione Chriſti: illi Deus, huic Papa præeſt.

Ergo ut bene ait Homerus. *Iliad. 6.*

—— εἷς κοίρανος ἔστω
εἷς βασιλεύς.

Herus unicus eſto
Unicus & princeps.

Revera vix feliciter cedit plurium domina-

tus: vix enim pax & concordia.

Nulla fides regni ſociis omniſque poteſtas,
Impatiens conſortis erit.

1. *Annal.* ARDUUM eſt, ait Tacitus, *eodem loci potentiam eſſe & concordiam: nec aliud diſcordantis patriæ remedium eſt, quam ut ab uno rogatur.*

Iſocr. ad Nicol. TANTO ſcilicet, ait Iſocrates, *facilior eſt Monarchia, quanto facilius eſt animum ſuum ſuum unius viri arbitrio accommodare, quam* 1. *Annal.* *multis & variis opinionibus:* SUSPECTUM, inquit Tacitus, *Senatus populique imperium ob* *Inſt. Exhort. ad gentes.* *certamina potentium & avaritiam Magiſtratuum:* Econtra *unus principatus à bellis diſſidiiſque ſolutus ac liber eſſe ſolet.* Ideo quantacumque mortales teneat dominandi libido, quantumvis ſui juris eſſe alterius jugi impatientes ament; ultro tamen Monarchiam amplexatæ ſunt omnes ferre totius orbis gentes, ſic ſuos habuere Principes, etſi horum nonnulli temperatam voluerint Ariſtocratiâ Monarchiam, Aſſyrii, Medi, Perſæ, Ægyptii, Parthæ, Macedones, Celtæ, Arabes, Indi, Æthiopes, Scythæ, Tartari, Turcæ, Dani, Galli, Moſcovitæ, Britanni, Poloni, Africani, Peruſini: Quin-etiam Græcorum ac Italorum civitates, priuſquam ambitioſâ imperandi cupiditate obcæcarentur, fœliciter ac diu Regali Imperio paruerunt.

l. 6. de Rep. c. 4. ANCHORA ergo ſalutis publicæ, pacis & tranquillitatis eſt Monarchia, ut bene notat, & eruditè acuteque probat Bodinus, quâ unâ etiam apud eas gentes in quibus alia vigebat imperii forma, exorti inter Optimates motus, *Liv. lib. 2. l. 3.* populi ſeditiones ac tumultus componi poſſint: quâ unâ & domeſtici hoſtes & extranei *Iſd. Livius l. 7.* debellentur, quâ inermis alioqui adverſus

reum civem potentiorem armetur Juſtitia, quâ tractis in diverſas partes æſtuantibuſque animis creentur Magiſtratus, quibus cum honore & dignitate authoritas. Tre-« pidi Patres, ait Livius,* ad ſummum auxi-« lium decurrun; Dictatorem dici placet. Inſ-« tante Annibale: *Ad Dictatorem dicendum remedium, iam diu deſideratum civitas confugit:* hac ratione & ſuis addebant animos & hoſtibus adimebant: Addebant ſuis: *Dictatoris* nempe *edictum pro numine ſemper obſervatum:* adimebant hoſtibus: Tantus ſcilicet, ait iſ-« dem Livius, erat Dictatoris terror apud hoſ-« tes, ut eo creato ſtatim à mœnib⁹ diſceſſerint.« l. 4. *Lib. 6. l. 22.

ALIQUA opponuntur.

PRIMO: Deus non dedit Regem Iſraëlitis, niſi in pœnam: iraſcitur quoque ipſis quod Regem petant: ergo Monarchia non eſt optima. Reg. 8.

NEGO conſequentiam, non enim ſuccenſet ipſis quod Regem petant præcisè, quaſi regimen Monarchicum non expediat: ſed quod regimen Dei peculiariter ſibi providentis & aſſiſtentis in regimen hominis velint mutari, quod poſtulent hominem in regem, qui Deum: *Non te abjecerunt,* ait Deus ad Samuelem, *ſed me, ne regnem ſuper eos.*

SECUNDO: Ubi unus imperat, minor eſt libertas: & ſi ſit tyrannus, à nullo redigi poteſt ſuum in officium: ergo.

NEGO antecedens.

PRIMO: Non eſt minor libertas in Monarchia; imo major, in hac enim uni ſerviendum eſt Regi, in Ariſtocratia vero & Democratia pluribus, tot quippe ſunt Reges & Domini quot Proceres & Optimates.

Secundo: Pejus eſt habere Senatum tyrannum, quam experiri tyrannidem unius regis: rex enim tyrannus brevi moritur, Senatus vero tyrannus vix uſquam moritur, cum ſenioribus & morientibus novi ſuccedant Senatores, quibus genium tyrannicum ſuperſtites inſtillent.

Denique ubi pluralitas dominantium, ibi plerumque bella civilia: ſic in Imperio Romano Pompeius & Julius Cæſar: ſic extincto Cæſare Triumviri; ſic & ſub triginta tyrannis gemuerunt Athenæ

AN

REX HEREDITARIUS

PRÆSTET-ELECTO?

Præstat. Ita Philoſophus tertio Politic. 14.

Primo: Ille rex præferendus eſt qui conſulit tantum bono regni, eique conſulendo proprio conſulit: ſed Rex hereditarius id preſtat: reſpicit enim regnum, ut bonum majorum, ut ſuum, & ut filiorum: Rex autem electivus reſpicit regnum ut bonum tranſitorium, ut ſuum quidem, ſed non filiorum, ac proinde amplificandis pro ſua ſorte filiorum patrimoniis ſtudet, etiam cum detrimento boni publici: ergo melius eſt naſci regem quam eligi.

SECUNDO: Quia rariora ſunt bella civilia, ubi naſcitur rex quam ubi eligitur: ubi naſcitur enim, non ſunt rixæ de regno, quia nemo jus putat habere ad regnum: ubi vero eligitur qui potentiores ſunt per fas nefaſque ad illud contendunt. Ideo recte Tacitus: *Minore diſcrimine ſumitur Princeps quam quæritur*: *magnis* ſcilicet *conatibus opportuni ſunt tranſitus rerum.* 11. *Annal.* *Tacit.* 1. *Hiſt.*

NON nego regimen hæreditarium ſua habere incommoda. *Vid. Lipſ.* l. 2. *Monit. & exempl. Polit.* c. 3. & 4.

HABET cum reges adhuc infantes ſunt & pueri. Habet cum rex non eſt hæres virtutis paternæ. Sed longe majora & plura ſunt in regimine electivo: nam & rex puer adoleſcit, raroque degeneres procreant aquilæ columbas: at vero in electivo regno non curantur tam facile incommoda, & plura ſunt ac frequentiora: quid enim ſi rex electus fortis & ſtrenuus vi & armis regnum ſuis ſervare nititur? *Natura mortalium avida imperii eſt*, ait Saluſt. *Et vetus ac pridem inſita mortalibus potentiæ cupido eſt*, *quæ cunctis affectibus flagrantior*: Quid ſi in regno inſoleſcit, qui prius erat clemens? quid ſi alterum referat Sergium Galbam, qui referente Tacito cum privatus degeret, major privato videbatur, & capax qui imperaret, niſi imperaſſet. Adde bella civilia, electorum diſſidia, & quod vigente morum corruptione non evehatur ad ſolium meliores, ſed potentia, gratia opibuſque præſtantiores. Adde & propenſionem inſitam civibus parendi hæreditario regi, communi gaudio & tranquillitati conjunctam.

Maxime adducuntur pleriq; ut eoſ juſtitiæ capiat oblivio cũ in imperiorum honorem, gloriæ-ve cupiditatẽ incidèrint. *Tull.* 1. *de Offic.* *Sall. in Iugurth. Tacit.* 11. *hiſt.* 15. *Annal.*

AN

MELIUS SIT REGI AB OPTIMO PRINCIPE QUAM AB OPTIMIS LEGIBUS?

MElius ſane: ita enim ſe habent Principes & Leges ad bonum publicum quomodo Medicus & Medicinæ leges ad regimen ægrotantium: Atqui optimus Medicus accommodatior eſt ad regimen ægroti quam optimæ Medicinæ leges, quia generalia pręcepta in peculiaribus circumſtantiis ſæpe deficiunt: ergo præferendus optimus Princeps optimis legibus.

ITEM prę ſtat regi à lege animata quam ab inanimata; ab eo qui ſuis exemplo præeſt quam ab alio, namque

Segnius irritant animos immiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Atqui Princeps lex eſt animata, ſuiſque exemplo præeſſe poteſt, non autem ſcriptæ leges: ergo.

3. Politic. AST ex Philoſopho melius eſt civitatem regi per legem quam per Principem, quia hic obnoxius eſt animi affectibus.

DISTINGUO: ſi regimen civitatis ſpectetur univerſim, concedo, princeps enim ſecundum leges gubernare debet: ſi ſpectetur in

particulari & penſatis omnibus circumſtantiis, nego: Principis enim eſt, inquit Philoſophus, naſcentes difficultates ſedare, & graſſantes in legum obſervatione errores emendare.

AN ANDROCRATIA PRÆSTET GYNÆCOCRATIÆ?

PRÆSTAT: *Quia vir habet omnia requiſita ad imperandum*: habet in ore majeſtatem; in mente prudentiam, in corpore robur, in voluntate conſtantiam & clementiam: hæc autem vix habet mulier, aut ſaltem non habet ut vir.

NON eam præ ſe fert oris majeſtatem, quam vir, cujus barba ut ornamentum ſit, ſic & hoſtium terriculamentum.

NON *habet prudentiam*: bene enim loquuntur mulieres apud Euripidem,

> *Mulieres ſumus ad omnia conſilia ineptiſſimæ,*
> *Malorum autem omnium artifices ſapientiſſimæ.*

Ideo mulieres olim ſub perpetua vixiſſe tutela narrat Tacitus

NON habent mulieres robur corporis: Temperamento enim ſunt frigidiores maribus.

Senec. *—— Deus his pectus inſtruxit dolis;*
Sed vim negavit.

NON habent conſtantiam: nam

Pumice quid levius? fulmen; quid fulmine? fama,
Quid fama? mulier: quid muliere? nihil.

Hinc merito Propertius

Nulla diu fœmina pondus habet.

3. Annal. NON habent demum clementiam: *Non enim tantum*, inquit Tacitus, *imbecillis & impar laboribus hic ſexus; ſed ſi licentia adſit, ſævus, & ambitioſus*: quid ita?

——— pectore in arcto
Pruden. *Mens fragilis facili vitiorum fluctuat æſtu.*

HINC *æqualis leana & mulieris crudelitas*, ait Menander,& ſi Poëtæ habenda fides;

Fœmina nulla bona eſt, aut ſi bona contigit ulla,
Neſcio quo fato res mala facta bona eſt.

Hinc facetus Epigrammatum ſcriptor.

Eſt mulier mera bilis, habet duo commoda ſolum;
Cum jacet in thalamo, cum jacet in tumulo.

CERTE omne malum ex muliere ſumpſit exordium, quin & Sapiens: *Melior*, inquit, *eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens.*

QUID plura? Non debet mulier imperare familiæ, ut diximus, quia vir eſt caput mulieris: ergo à fortiori nec civitati. Quod ſi aliqua mulier forte bene rexerit, & fœliciter,

Rara avis in terris, nigroque ſimillima Cycno.

HIS de regimine in univerſum perſtrictis ad rudem Politices adumbrationem nos accingamus.

De Infœlici Gunaicocratiâ ſæpius, quandoq; fauſtâ. I. Lipſius Monit. & Exempl. Polit. l. 2. cap. 5.

TRACTATUS PRIOR.

De Fœlicitate Politica.

MONASTICAM fœlicitatem faciunt bona privata, Oeconomicam domeſtica: ergo & Politicam publica. Harum ſumma,

Religio & Numinis cultus,
Princeps idoneus,
Magiſtratuum invicta æquitas,
Artium Liberalium & litterarum ſplendor ac cultus,
Populi tranquillitate fruentis devotus erga Principem animus,
Rerum omnium abundans copia.

CAPUT I.

De Religione.

RELIGIO duobus continetur: Numinis notitiâ: ideo ab Arnobio 7. contra gentes dicitur directa de divinis mens: & cultu qui certis legibus ceremoniiſque exhibetur: ergo noſcere Deum, & colere, ſumma religionis.

QUI Deum novit, ut ipſum optimum cogitat, ſic & mali hoſtem infenſiſſimum. Qui malum odit, amovet ſi po-

teſt, & in ejus authorem ſęvit: At cui numinis mentem cogitatio ſubit, ei.

—immenſa eſt finemque potentia cœli
Non habet, & quicquid ſuperi voluere, peractum eſt.

Ovid. Met. 8.

Qui ergo Numen novit, ſceleris ut oſorem, ſic & vindicem novit: ſi paucos virtutis ſuaves trahunt illecebræ, multos ſane à ſcelere pœna deterret, eoque magis quo certior: certiſſima pœna, ubi certa delicti notitia: At *nihil Deo clauſum eſt, intereſt animis noſtris & cogitationibus mediis intervenit.* Atque ut ait Poëta.

Senec. Ep. 84.

Aſpiciunt oculis Superi mortalia iuſtis.

Ovid. 13. Met. l. 4.

Ergo merito Silius.

Prima ſcelerum cauſa mortalibus agris
Naturam neſcire Deûm.

Hinc religionis ad fœlicitatem publicam ſumma neceſſitas: Nulla enim publica beatitas, in qua ſuave non ſit in gubernatore imperium, ut & promptus in ſubditis parendi animus: publica enim fœlicitas nulla ſine concordiâ partium ex quibus reſpublica coagmentatur, ſicut nec incolumis ſtare & integra corporis humani ſanitas, in qua partium principum, ſeu ſimul, ſeu cum inferioribus maxima non ſit conſenſio: ſic ab optime temperato, laudabilique ἐυκρασίᾳ inſtructo cerebro mittuntur ſpiritus animales ad hepar: ſi hoc male affectum, ſeu minus elaboratum ſanguinem ad cerebrum tranſmittat, illico deſinet laudabilis corporis totius ἐυεξία: At vix ſuavis ſit in imperante dominatio, promptus quoque in ſubditis parendi animus, ubi nullus religionis ſenſus: metus enim pœnarum, & præmiorum recte factis propoſitorum expec-

tatio & continet Principem in juſto officio ne imperium vertat in tyrannidem, continet quoque ſubditos ne aliquid contra Principem moliantur, quem à Deo credant ordinatum, ſibique præpoſitum: ergo religionis ad publicam fœlicitatem ſumma neceſſitas.

Certe nulla fœlicitas ſine virtute, vitia enim ſi regnant, quia ſibi invicem tam infenſa, quam amicæ concordeſque ſimul virtutes, omnem è medio pacem tollent: ubi ergo tunc fœlicitas? At nulla virtus ſine religione: *Religio ubi nulla eſt*, inquit ſanctus Auguſtinus, *virtutes eſſe non poſſunt.* Tolle vinculum re- « *l.19.de Civ.Dei.* ligionis, vita hominum ſtultitia, ſcelere, im- « manitate complebitur, ait Lactantius. « *l. de ira Dei c 8.*

Magnum, ait Lipſius, *religionis in animos imperium.* Quid ita? *Religione vita conſtat*, *1. Polit 3.* ait Plinius, *& omnes Deos patrios quos à maioribus acceperunt colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur.* *L.14. Nat. Hiſt.* *Cic. 7. in Verr.* Ideo ἐν πόλει πρῶτον ἡ περὶ θείων ἐπιμέλεια, ait Ariſtoteles, *prima in civitate de divinis debet eſſe cura*; & Plutarchus: *7.Polit.c.8.* *Contra Colot.* Urbs mihi videtur citius ſine ſolo quam reſpublica ſine opinione de diis aut conſtitui, aut conſtituta ſervari, ideo religionem vocat *συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα*; vinculum ſive coagulum omnis ſocietatis & juſtitiæ firmamentum, ut bene advertit iſdem Lipſius adverſus Dialogiſtam.

Hactenus probavi ad fœlicitatem publicam requiri aliquam religionem: ex hac enim naſcitur imperantis cum ſubditis conſenſio: ex hac conſenſione, tam fœlices cœpta habent exitus, quam exitioſa ſunt civilia diſſidia: hinc *l. 5.* Livius. *Omnia proſpera eveniunt colentibus deos, adverſa ſpernentibus.* Sed an requiritur vera?

Ad veram plenamque fœlicitatem requiritur vera religio: Non enim poteſt florere imperium, non poteſt eſſe certa cumulataque fœlicitas publica Deo benigne non aſpirante: *Niſi enim Dominus cuſtodierit civitatem*, ait Rex Propheta, *fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*: *homines quoque*, inquit Plinius ad Trajanum, *ſine benigno deorum immortalium munere ne quidem auſpicari quicquam poſſunt*: Atqui ubi falſa religio, ibi non poteſt eſſe benignus Dei afflatus: ut enim odit Deus peccatores, ſic & idololatras & errori aut hæreſi turpiter flagitioſeque mancipatos.

Revera quod in corpore ſanitas, id publica in regno fœlicitas. At ſanum vere nemo dixerit corpus, cujus omnia membra male affecta ſunt, imo quis maxime laborare merito non judicet, in quo ſingularum partium potiſſima primaque functio, aut ceſſat, aut minuitur, aut depravatur? Atqui ubi non eſt vera religio, ibi in ſingulis reipublicæ membris prima potiſſimaque functio, aut tollitur, aut depravatur. Tollitur in idololatria, ubi mens veri Numinis notitiâ prorſus caret; depravatur in hæreſi, ubi Numinis equidem veri divinorumque ſi habetur cognitio, habetur in multis errori permixta. Ex hâc læſione cognitionis, ſequitur & læſio motus: ubi ἀτροφία in muſculo, ibi vel nullus, vel languidior motus, ubi quoque Numinis, ſeu nulla, ſeu vitiata cognitio: ibi vel otioſa penitus, vel torpens ſegniſque ad amorem voluntas: quid ita? ſcilicet in Dei divinorumque contemplatione quo clarior notitia, eo potentior voluntatis ſacro amore æſtuantis motus niſus, unde in cæterarum virtutum actus, queis publi-

aſſeratur tranquillitas fœlix propenſio, ipſaque voluntas, quod de Narciſſo ſui ipſius pulchritudine capto habet Poëtarum ingenioſiſſimus, ubi ſemel divina.

> *Vidit & incaluit, ſequitur veſtigia paſſim,* 3.Met.
> *Quoque magis ſequitur, flammâ propiore caleſcit.*

Ubi quoque ſplendore nimio perſtringitur mentis acies, tunc voluntas

> *Quid videat neſcit, ſed quod videt uritur illo.*

FATEOR eſſe poſſe apparentem aliquam fœlicitatem ſine vero cultu veraque religione: quis enim neſciat floruiſſe Imperium Romanum ſine vera religione? quis Perſicum & Turcicum limites ſuos maxime protendiſſe neſciat? ſed vel ignotas nobis calamitates, ignotas cicatrices habent hæc regna, quibus eorum felicitas non parum imminuatur: vel ſi externis in hacce vita malis & calamitatibus ſubducuntur eorum incolæ, mercedem bonorum operum, ſine quibus nemo quantumvis impius vivit, ait Auguſtinus, in hac vita excipiunt, æternas infidelitatis ſuæ pœnas ſubituri. *Deus,* inquit alibi iſdem ſanctus Doctor, *oſtendit quantum in illo imperio valerent civiles etiam abſque religione virtutes.* Epiſt. 5. ad Marcel.

ATQUE in hoc etiam conſentientem citant aliqui Machiavellum. *Quicumque*, inquit, *Principes atque reſpublicæ ſemetipſas conſervare cupiunt, in id unum præ cæteris incumbere debent, ut verum religionis cultum recte inſtituant & venerentur: nec certius indicium de regionis alicujus ruina, atque interitu unquam habere poteris, quam ſi in eâ divinum cultum deſpectui haberi ac ſperni cognoveris.* Verum In Lib. 1. cap. 10.

ſi ſenſum ejus penitius introſpicamus, id tantum velle voluiſſe videtur Machiavellus, ut qui clavum reipublicæ tenet, omne ſtudium in eo collocet, ut religionis in eâ vigentis) vera ſit, an falſa) ritus, ſacraque exactè pro inſtituto peragantur, ut patebit examinanti. Certe Machiavellus veram nuſquam in Principe fidem, ſeu erga Deum, ſeu erga homines curavit, ut alibi dicetur, is modo captos ſuperſtitione animos haberet, ſibi ſuiſque juſſis devotiſſimos: tyrannorũ quippe maximè intereſt,

Vt faciant animos humiles formidine divûm
Depreſſoſque premant ad terram.

Scilicet, inquit Curtius, *nulla res efficacius multitudinem regit quam ſuperſtitio.* Eſto revera *gens ſuperſtitioni obnoxia, religioni ſit adverſa*, ut notat Tacitus.

l. 4. *l. 3. Hiſt.*

CAPUT II.

De bono Principe.

BONUS princeps ut admiratione dignus, ſic omnium votorum ſumma: hujus loci non fuerit ejus etiam rudem effingere idæam, ſed ſequentis tractatus, ubi agentes de mediis ad fœlicitatẽ Politicam, inſtitutionem boni principis accuratius poſtea ex præſtantiſſimorum authorũ ſenſu, in Principe TATITI à nobis ſi gratus tibi fuerit amice lector, & acceptus, quod mihi pollicear aliquando illuſtrando, perpoliendam, adumbrabimus. Hic ſatis fuerit

paucis, quia de ſe patens & conſpicuum, quanti reipublicæ interſit, bonum habere Principem indicaſſe, ſine quo nulla fœlicitas publica eſſe queat.

Ac quidem ſi meminerimus Remp. corpus eſſe politicum, cujus caput aut anima princeps fuerit, infœliciſſimam eſſe ubi bono Principe deſtituitur, facillime deprehendemus. Cogitemus corpus abſque animâ, cadaveris triſtem nobis efformemus ac luctuoſam imaginem: Rempublicam ſine principe cogitamus. Offerat ſeſe nobis corpus aliquod, ſuis quidem ita partibus inſtructum, ut vitiatas habeat principes, vitiatum hepar, cor languidum, cerebrum intemperatum: offert ſe nobis reſpublica à pravo gubernata Principe. Obverſetur demum navis quam vel imperitus regat Nauclerus, vel navigantium ſaluti inſidiatus, qui quod vitare poſſe ſe exortâ tempeſtate induſtriâ ſua exitium & malum putet, à navigantium ſuæ fidei commiſſorum & induſtriæ, cervicibus avertere nolit, qui etiam tranquillo mari & pacato ſuos, quorum ſpoliis ditetur, in pelagus præcipites agere velit; obverſatur iniquus Princeps, ſævus & avarus. Recurrat demum Saturni proprios devorantis filios truculenta facies, prodibit tyrannus immanis & ambitioſus. Singula ut aperire poſſem & ſigillatim demonſtrare, in primo hæreo, quo publicam fœlicitatem in boni Principis regimine maxime ſitam eſſe clariſſimè demonſtretur.

Itaque ut Princeps Naucleri fungatur officio, ſuorum parens ſit: certe anima eſt reipublicæ: pro quo cum vitæ ſubeunt diſcrimina ſubditi, ſuæ ſaluti incolumitatique etiam con-

ſulant. *Immenſa populi multitudo*, inquit Seneca, *unius anima circumdata, illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur, preſſura ſe ac fractura viribus ſuis, niſi conſilio ſuſtineretur.* Et mox. *Ille eſt vinculum per quod reſpublica cohæret, ille ſpiritus vitalis quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda; ſi mens illa imperii ſubtrahatur.*

Senec. lib. 1. de Clem. cap. 4.

Ex Virg. de Apibus

—— Rege incolumi mens omnibus una,
Amiſſo rupere fidem.

Lucan. Pharſalic.

Ideo Lucanus de Cæſare.

Cum tot in hâc anima populorum vita ſaluſque, Pendeat.

lib. 9.

Et cum Alexander ægrotat apud Curtium: *armatus exercitus Regiam obſedit, confeſſus omnes unius ſpiritu vivere.*

Quod ſi Princeps reipublicæ mens eſt & anima, & partium quoque officialium, & quidem principum, in corpore animato ut vices quadamtenus obit, ſic & conditionem æmulatur. Sanguinem elaborare creditur Hepar, cujus materiam exſcuto per venas Meſaraicas chylo ſubigat, & ad nutritionem cæterarum partium corporis præparet. Præparatum tranſmittit per venas, in quibus etiam ſuum obtineat complementum: Et principis eſt populorum ſuorum neceſſitatibus providere: Annonam ubi egeſtas eſt & inopia, aliaque commoda vitæ quæ è regionibus ditioni ſuæ ſubditis ſperare non poſſit, ab extraneis mutuari, quos & ſibi pari beneficio devinciat: advectam annonam, advectas merces per præfectos in commune effundere. Cor pariter perpetuo movetur, contrahitur & dilatatur, ſpiritus è defœcatiori ſanguine, ex attracto per pulmonis fiſtulam ſubtiliori aëre effingit, quibus per

per arterias diſcurrentibus, aliis partibus vitam communicet: Et bonus Princeps perpetuas pro ſuorum ſalute excubias agit. Epaminondæ æmulus dormientibus ſuis ſolus vigilat: conſilia in ſecretioribus mentis ſuæ receſſibus verſat, quæ fœlicem ſortita exitum laudata ſimul ſint omnibus & nota: ut ſuorum corda ſic & hoſtium rimatur, miſſis exploratoribus trahit ad ſe occultiſſima quæque hoſtium conſilia, è quibus propria ſuſcipiat & conſtituat, ad ſuorum vitam ſalutem & incolumitatem. Cerebrum denique & ſuos creditur habere motus ſyſtoles & diaſtoles, ſedes eſt mentis & conſilij, arterioſum temperat ſanguinem è quo ſpiritus fabricet animales, quibus per nervorum paria in cęteras partes ſenſus derivetur ac motus: Et Principem oporteat ſuorum ſaluti ſemper intentum divinorum eſſe conſiliorum veluti ſedem: cujus numen mente utatur * ut organo ad ſanctas cogitationes, ſancta efformanda conſilia, voluntate ad pia & laudabilia deſideria: *Cor regis in manu Dei eſt*, ait Rex Propheta, *& quocumque voluerit flectet illud:* Oporteat & Principem inſpirata ab iis quos in conſilium advocat ſic temperare & moderari, ut nec æſtuantem redoleant & impetu abreptum animum: nec frigidius affectum erga ſuos: bene temperata eorum qui executioni demandent fidei ſic committere, ut authoritate regiâ, veluti ſpiritu motorio, ſuaviter utentes, demandatam ſibi provinciam, & prudenter, & ad vota omnium, Principiſque conſilium adimpleant.

* Gratiæ nempe, ut docet poſt S. Auguſt. Theologi, ſunt motus quos Deus operatur in nobis ſine nobis, hoc ſenſu quod Deus intellectum noſtrum minime attendentem applicat ad objectum ſupernaturale, circa quod dum producit actum cognitionis, quo excitetur voluntas, dicitur habere gratiam illuſtrationis: voluntas pariter ab eodem Deo excitata ad illud, & applicata, dum producit actum amoris ſimplicis, dicitur pios experiri motus gratiæ cœleſtis. Ergo ex communiori ſententia gratiæ illuſtrationis ſunt ipſi actus cognitionis à

mente noſtra Deo applicante producti : gratiæ vero piæ motionis ſunt actus amoris objecti ſupernaturalis boni, vel fugæ mali à voluntate noſtra Deo ſuaviter applicante prodeuntes : unde & gratia excitans dicitur præveniens, quia prævenit liberum voluntatis noſtræ conſenſum, etiamſi hic non eliciatur abſque gratia operante & cooperante.

Adumbratum habes in partibus principibus bene affectis bonum principem: cogita vitiatas, cogita quæ ex vitiatis in univerſum pervenit corpus, noxam : & mali principis offeret ſeſe facies, offerent ſe publicæ calamitates & ærumnæ, obverſabuntur rapinæ & vexationes, plebis oppreſſæ ejulatus, egeſtate, ſeu marcore deficientis tabes, & ſyncopæ: Helar ſubſtantiæ corruptela contaminatum ſit tibi Princeps, aut ſegnis, aut pravæ indolis, qui ſenſim torpore, ſeu languore contabeſcat. Intemperie ſimplici laborans cogita, & cogitabis Principem, in quo inſigne regnet vitium: inflammatum puta, libidinoſum principem putabis : ex frigidiori intemperie ciborum finge avidum: avarum finges principē, ignavum, & meticuloſum. Schyrrho intumeſcat hepar, ſuperbum habebis Principem, durum, immanem, & ſui neſcium. Ex abſceſſu contrahat ulcus quod alimento continenter alluente, perpetuò colluvie multa ſordeſcat, nec umquam poſſit ſaneſcere : Et occurret tibi Princeps putrida libidinum ſanie infectus, purulentam habens animam invadentibus ſine ordine, & ſine ratione remordentis conſcientiæ rigoribus cruciatam, materiæ purulentæ ex bonorum divitiarumque affluente perpetuo, & renaſcente copiâ, quâ libidini infœliciter nimis litatur, pondere oppreſſam, quod excutere minime poſſit. Cor pariter præter communes ſibi cum hepate aliiſque partibus affectus, cogita phlegmone laborans & eryſy-

pelate; accenſum in eo cogita ignem cujus flamma in febri per arterias in univerſum corpus ſerpat & communicetur, cogita palpitans & deficiens: exhibebit ſe tibi Princeps prava concupiſcens, ira fervidus, impotens ſui, nutans in conſiliis & vacillans, & in temere ſuſceptis ſine ratione, ſine conſilio & prudentiâ ex perturbationis prędominantis oeſtro miſere turpiterque deficiens. Cogita cor peſtilentibus halitibus, ut obnoxium maxime, ſic quod miſerius ſuccumbat, cogita vitæ ſedem, cogita focum nativi caloris, ut & nutritionis cogita artifex hepar, quo vitiato crudior in omnes partes fluat ſanguis, unde cachexia tandemque hydrops: Et habes Principem cui pronior ex opibus & licentiâ in libidinem via

Tunc vivere caſte.
Aſperius cum prompta venus.

Cujus labe univerſus populus inficitur, ut & recte factis maxime eruditur, & ad virtutem ſtimulatur: *Non tam imperio opus eſt nobis*, ajebat Trajani Encomiaſtes, *quam exemplo*; cujus crimen pro dignitate creſcit.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Vitia non ſolum ipſi principes concipiũt, ſed etiam in civitatem infũdunt pluſque exemplo quam peccato nocent.

Cicer. l. 3. de legib.

Iuvenal.

Cerebrum tandem lancinatis & punctis in cephalgia partibus membranoſis finge acutos patiens doloris erodentis, ac perforantis morſus: & laſcivum Principem habebis ob oculos, anxium, & de adverſa valetudine, aut morte illecebroſæ mulieris mœſtum & conquerentem. Finge vigiliis exhauſtum caput, & habebis Principem recurrentibus ſubinde deleteriorum objectorum ſpeciebus jugiter in-

tentum & occupatum. Finge comate ſomnolento preſſum, in quo communis torpeat ſenſus, ferientur & externi impedito ſpirituum animalium affluxu. Inexplebilem in lethargo finge in ſomnum propenſionem, & obviabit mollis Sardanapalus inſtantis neſcius mortis, ſomno libidinis gravatus, indignus qui vigiles ad cuſtodiam ſui ſalutemque ſervos nuntioſque habeat. Finge rotatis & circumactis in vertigine ſpiritibus cerebrum ſpeciebus exagitatum. Finge in melancholiâ uni intentum; finge triſtitiâ metuque affectum. Finge in phrenetide perpetuum delirium aſſiduæ conjunctum febri. Finge in maniâ diuturnam mentis cum ferociâ igneſcentibus ſpiritibus emotionem: finge ut cæteros affectus ſileam, in epilepſiâ convulſi corporis crebram diſtentionem: & principem exhibes tibi inconſtantem & verſatilis ingenij, nullius conſilij tenacem: exhibes tibi adverſante ſcelerum ultore Deo, ſceleſto fruſtratum conſilio, anxium & pavidum: exhibes tibi inſanientem & furore percitum, ſævientem in ſuos, in ſemetipſum, exagitantem ſeſe & divexantem. Hęc rudis mali principis idæa; hæc publica calamitas. Ex qua confectum arbitror, & ſatis pro inſtituto demonſtratum reipublicæ intereſſe maxime, à bono regi principe, ſine quo nulla publica fœlicitas.

CAPUT III.

De reliquis ad publicam fœlicitatem conducentibus.

HÆc, ut dixi, revocantur ad Magiſtratuum æquitatem, fidem & conſtantiam, litterarum cultum & ſplendorem, amorem ſubditorum erga principem, & rerum omnium abundantiam : quæ rudi penicillo adumbro.

Ad publicam itaque fœlicitatem requiritur Magiſtratuum integritas, fides & conſtantia. Nam & leges ferre ad publicam tranquillitatem principis eſt : ſervandas curare, Magiſtratus & Judicis, nempe lex præcipit in univerſum : legem vero ad caſus particulares applicare, & lites dirimere, Judicis eſt à principe commiſſi, non ipſius principis, ne nimia cum ſubditis familiaritas pariat contemptum. Ergo quàm ad publicam tranquillitatem neceſſaria eſt juſtitia, tam neceſſaria eſt Magiſtratuum æquitas.

Necessaria eſt juſtitia : jus enim & æquitas ſunt vincula civitatum, ait Tullius: & remota juſtitia, quid ſunt regna niſi magna latrocinia? ait ſanctus Auguſtinus. Hinc Sapiens: *Iuſtitia firmatur ſolium* : & divinus Plato ἔρμα πόλεων juſtitiam nuncupavit. Prover. 16. 12. de leg.

—— Vbi non eſt pudor
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides,
Inſtabile regnum eſt.

Necessaria proinde Magiſtratuum æquitas: in ſeveritate enim Judicis poſita eſt legum auctoritas, ait Demoſthenes: & judicantes eadem mente præditos eſſe oportet qua Legiſlatores, inquit Lyſias apud Stobæum: *Cum Iudici dicenda ſententia eſt*, ait Tullius, *meminerit ſe Deum habere teſtem, id eſt mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus divinius.*

Hinc Ariſtoteles 4. Ethic. 5. ait judicem eſſe debere medium inter eos quorum cauſam judicat ne ad unum inclinet. Ad unum quippe ſi inclinat, jam quia ejus amicus, in propriâ causâ judicem ſe præbebit, ut diſſerit Bannez (de Iuſt. & Iure q. 6. a. 2.) quid ita? ſcilicet ut diximus amicus alter ego. Ideo & Areopagitæ omnium æquiſſimi judices, & quorum ſe ſtitiſſet tribunali Iupiter ipſe, jus dicentibus præmia interdicebant & epilogos, ne his moverent judicum affectus. Ariſtoteles quoque animum judicis deorum aræ comparat: ſeu quod Deus ab omni affectu liber ſit, ut explicāt aliqui, ſeu quod ut myſta ſubditis mactatiſque ut ita loquar affectibus Numini magis litat quam victimis, ſic & judex omnem ad rectè judicandum affectum exuere debeat.

Facit quoque plurimum ad eamdem fœlicitatem, litterarum ſplendor: nulla enim felicitas ſine virtute, ad virtutem autem, maxime confert litterarum cultus, litteratorum enim eſt & doctorum alios erudire, agenda & fugienda demonſtrare. *Tametſi virtus impetus quoſdam à naturâ ſumat, perficienda tamen doctrina eſt*, ait ſcite Quintilianus.

Item ad regni felicitatem & commodum multum refert eos habere qui ſanum de rebus

agendis dare poſſint conſilium, qui futura ex præteritis præſagiant: hoc autem non eſt expectandum ab ignaris & hiſtoriarum imperitis, vel rudi & inculto genio præditis.

Hinc ſapientiſſimi quique principes maximam litterarum litteratorumque habuere ſemper rationem, Academias ſumma diligentia & ſingulari ſtudio inſtituere: viros Academicos propoſitis præmiis pellexere, multis prærogativis, & muneribus affecere. Sic Carolus Magnus noſtram creditur Academiam inſtituiſſe, ex tranſmarinis regionibus doctiſmos accerſiſſe, ut refert Gaguinus. Hanc Philippus Augustus auxit & locupletavit: hanc benignitas Regum ſucceſſorum ſervavit & amplificavit. Et tantum honorem litteris detulit omniū gentium litteratiſſima Gallia ut noſtræ Academiæ rectores ad ſanctiſſima conſilia advocarent olim Reges, eorumque conſiliis ſummam haberent fidem. Antiquiſſima certe ſunt in Gallis noſtris litterarum ſtudia, antiquiſſimæ Academiæ, quarum adinſtar Reges Anglos ſtudia in ſuo regno inſtituiſſe narrat Venerabilis Beda auctor antiquiſſimus.

Subditorum erga Principem ad eamdem fœlicitatem neceſſarius amor, ut enim felicitas familiæ ex mutuo parentum liberorumque amore naſcitur: ſic & publica ex mutuo Principis & ſubditorum. Ut ergo liberos debitum par eſt parentibus exhibere cultum, eoſque ſummo amore complecti, ſic & ſubditi ſingularis amoris atque pietatis erga Principem præbere debent ſpecimina: quippe ut paternum erga ſubditos Princeps habere debet animum, ſic & ſubditi filialem.

Tu civem patremque geras.
Et Principum dominatio divinæ poteſtatis quædam emanatio eſt: At *patrium*, inquit Seneca, *ergo ſuos ſervat Deus animum.*

I. de Provid.

OMNIUM deniq; rerum ſufficientia & copia: ut enim diximus, vel nulla, vel admodum imperfecta ſtare poteſt cum egeſtate felicitas.

TRACTATUS ALTER.

De mediis ad felicitatem Politicam *conducentibus.*

HÆc ſunt quæ veri numinis cultum promovent, mutuum ſubditorum & Principis excitant amorem, leges firmant & Magiſtratuum fovent integram æquitatem: litterarum augent ſplendorem, & rerum omnium accerſunt copiam; publicam proinde aſſerunt tranquillitatem. Hæc omnia moliri, quia Principis partes fuerint. [illegible] his attingentur, ut ad principem a[illegible]

DE

DE

DE PROCURANDO VERI NUMINIS DEBITO CULTU.

ANTE omnia ob oculos habeat bonus princeps, hoc divini Platonis effatum: Veri Dei ignoratio, ſumma eſt omnium rerumpublicarum peſtis: itaque omnis humanæ ſocietatis fundamentum convellit qui religionem convellit. Hoc ſi ſemel animo inſculptum habeat,

AD pietatem proprio exemplo ſubditos inflammabit: *Pietate & iuſtitia principes dij fiunt*, aiebat Auguſtus. Cogitabit maximos quoſque & optimos Imperatores pietate non minus quam armis præluxiſſe ſuis, & extraneis incuſſiſſe terrorem. Cyrus referente Xenophonte ante tentatum, & precibus fatigatum
Num[illegible]moliebatur: Aſſyrios aggreſſurus
ver[illegible]avit: hinc Deus apud Eſaiam
Pr[illegible]*aſtor meus es*, ait ad Cyrum, c. 44.
& [illegible] *untatem meam complebis*. I-
d[illegible]ndro narrant Hiſtorici, quod
n[illegible]ſtandrum conſuluerit quam
E[illegible]Craterum, quod boum in exer-
c[illegible]et Diis non minus curam ha-
b[illegible]quorum. Hinc de Alexandro
[illegible]criptura: *Siluit*, inquit, *terra*
[illegible]. Revera referente Ioſepho
[illegible]ium in Judæa coluerat Sum-

mum Pontificem. Idem alij fecere inter fideles Imperatores præcipui: David : *Septies*, inquit, *in die laudem dixi tibi*: & , *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi* : Ad quod ſanctus Ambroſius advertens : *Si Propheta* , inquit, *qui regni neceſsitatibus erat occupatus*, *media nocte*, *& ſepties in die laudem Deo dicebat*, *quid nos facere oportet?* Nec nobis homicidium Davidis & adulterium obtrudant : *Peccavit enim* , inquit iſdem S. Ambroſius, *quod ſolent facere Reges* , *& pœnitentiam egit quod non ſolent facere Reges.* Sileo plures alios pietate ut & invicta fortitudine præ cæteris conſpicuos, ut Conſtantinum Magnum , qui tanto Chriſtianæ pietatis & abjectionis ſenſu præditus fuit, ut ad primæ Eccleſiæ in urbe Roma ædificationem duodecim propriis humeris terræ cophinos aſportaſſe referant Hiſtorici, ut præſentibus in Concilio Epiſcopis ſingulari reverentia ſententiam ſuam aperire recuſaverit. Non refero Theodoſium Magnum , & in Gallia noſtra Clodovæos, Carolos Magnos, Robertos & Ludovicos , quorum pietatem nulla delebit oblivio.

l. 3. de Virg.

Apologia David.

Pietatem ubi proprio exemplo ſuis inſpirarit princeps, Dei in univerſam plebem advocabit & pertrahet beneficia, quod eo melius præſtiterit, quo majori ſtudio omnes hæreticos vel hæreticæ pravitatis & novitatis fautores compeſcuerit & amandaverit : ut enim de Deo optime exiſtimare , pietatis eſt exordium , inquit S. Auguſtinus, ſic & falſas de Deo diviniſque ſententias non pati, ejuſdem eſt complementum. Hoc autem maxime pertinet ad Principem, qui auctoritate conceſſa errores expugnare poteſt & effocare : ut enim

l. 1. de lib. arb.

ait divinus Plato 10. de legibus : *Nemini licere debet, ut quos velit privatim Deos habeat, aut ut verum Deum pro animi ſui arbitrio colat, aut religionem ipſe ſibi inſtituat :* Ergo non patietur ſubditos alterius religionis, ſi ſine publico detrimento eos amandare poſſit. Bene ad ſuperiores S. Cyprianus : *Puniantur à te ne tu pro illis puniaris.* Re vera divinas leges quantum fieri poterit obſervandas curare debet princeps. Si tamen alterius religionis ſubditi veram fidem non corrumpant, ſi non ſollicitant ad apoſtaſiam, retrahendi ſunt quidem ab errore quantum fieri poterit, non ſunt tamen ultimò cogendi: *Nihil enim,* inquit Lactantius, *tam voluntarium eſt quam religio :* fideſque ait ſanctus Bernardus, ſuadenda eſt, non imperanda. Sileo nullas eſſe ardentiores rixas & crudeliora bella, quam quæ religionis cauſa ſuſcipiuntur, in quibus quiſque ſi moriatur fortiter, ſupra omnes felicem ſe putat & beatum.

DE

MVTVO PRINCIPIS ET SUBDITORUM FOVENDO AMORE.

NIHIL ad fovendum principis erga ſubditos amorem potentius, quam cultus & reverentia ſubditorum; nihil quoque ſubdito-

torum obſequioſum ardorem erga principem magis adauget, quam clementia Regis & beneficentia.

Cultus ſubditorum regis amorem provocat: cum enim impellente natura ad eos diligendos incitemur qui noſtri ſunt, tum maxime, cum ſuo cultu ſingularique reverentia nos ſibi devinciunt. Nempe ut gloria, ſic & voluptas ac amor patris benevoli eſt filius obediens & ſapiens, principis quoque qui paternum erga ſuos gerit animum.

Subditorum quoque amorem excitat clementia & beneficentia principis.

—— Nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.

Revera factus eſt princeps divitiarum & bonorum dominus: eas ſi non effundat in ſuos, proprij non publici videbitur commodi ſtudioſus: Bene faciendo ſibi maxime addicit ſubditos: *Beneficium enim accipere*, inquit Publius Mimus, *libertatem vendere eſt*. Benefaciendo quoque principes quantumvis iratos ſubditorum placant animos. Hinc Ovidius:

Munera crede mihi placant homineſque Deoſque;
3. de arte amandi. *Placatur donis Iuppiter ipſe datis.*
Sæpe Iovem vidi cum iam ſua fulmina vellet
Mittere, thure dato ſuſtinuiſſe manum.

Verbo omnia complexus fuerim, ſi quod inſinuatum jam omniumque officiorum Regaliũ fundamentum eſſe voluerim cum præſtantiſſimis authoribus, hoc alte inſideat principium, quod nempe

Principis animus in ſubditos paternus eſſe debet.

Tu civem patremque geras, ait Theodoſius ad Honorium

Pater ſibi non conſulit, ſed liberis, totus familiæ bono intentus eſt: ergo & bonus Princeps ſubditorum ſaluti maxime debet conſulere, conſulere legibus æquis, quæ civibus, non ſibi proſint: conſulere exemplo:

——Tu conſule cunctis.
In commune iubes ſi quid, cenſeſque tenendum Claudian. in Paneg. 4. Honorij
Primus iuſſa ſubi: tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi: componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent quam vita regentis.

Pater manſuetam & benignam exercet in filios ſeveritatem: amari geſtit, non timeri: amore liberorum ſecurus eſt contra calamitates vitæ & deficientis ætatis ærumnas: ergo & princeps ſuave in ſuos exerceat imperium, tyrannicam abhorreat crudelitatem: ſubditorum amorem quærat, non metum.

Sis pius in primis: nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.
Neu dubiè ſuſpectus agas, neu falſus amicis,
Nummorumque avidus: qui talia curat, inanes
Horrebit ſtrepitus, nulla non anxius hora,
Non ſic excubiæ, non circumſtantia pila
Quàm tutatur amor, non exhorrebis amari.
Hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat.

Qui terret, plus ipſe timet; ſors iſta tyrannis
Convenit, invideant claris, forteſque trucident:
Muniti gladiis vivant ſeptique venenis,
Ancipites habeant arces trepidique minentur,
Tu civem patremque geras.

Meminerit princeps expeditius eſſe augere regnum quam fuit accipere, ut loquitur Curtius.

Meminerit non oportere quemquam à ſermone principis triſtem diſcedere, ut aiebat Veſpaſianus.

Meminerit ſe diem perdidiſſe in quo nemini benefecerit, ut antiquus dicebat Imperator.

Meminerit demum moniti Theodoſii ad Honorium.

—— Virtute decet non ſanguine niti,
Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris ira
Servitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris rex eſſe tui.

Nempe.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet quanto maior qui peccat habetur.

Hoc in principe virtutis ſtudium, ſtudium & boni publici atque ſubditorum, nobilem ad maxima quæque pro publica felicitate in bellis ſubeunda diſcrimina ſanguinem excitabit. Hinc non ſine cauſa gladium portat, ut loquitur Scriptura.

DE FOVENDA
FIRMANDAQUE
MAGISTRATUUM ÆQUITATE.

QUAM ſtudioſus debet eſſe princeps ut bene faciat ſuis, tam ſedulus eſſe debet & intentus creandis Magiſtratibus & fovendis: his enim publica fovetur ſalus & tranquillitas, quibus unicuique quod ſuum eſt tribuitur.

ELIGET ergo viros ut pietate inſignes, ſic & legum ſcientia, probataque omnibus integritate conſpicuos. Habebit ſemper ob oculos Magni Conſtantini illuſtre decretum: Si quis eſt, inquit, qui ſe in quemcumque Judicum, Comitum, Amicorum, vel Palatinorum meorum aliquid veraciter probare poſſe confidit, quod non integre atque juſte geſſiſſe videatur, intrepidus & ſecurus accedat: ipſe audiam omnia, ipſe cognoſcam, & ſi fuerit comprobatum, ipſe me vendicabo de eo, qui me uſque ad hoc tempus ſimulata integritate deceperit: illum autem qui hoc prodiderit & comprobaverit, & dignitatibus & rebus augebo. *In Codice Theodoſiano.*

Hoc ut felicius præſtet & ſecurius, munera & magiſtratus non vendet: ſic enim iis gerendis ſæpius aſſumuntur minus idonei; quia ſæpius in probos & doctrina conſpicuos iniquior fortuna ſævit: ſic quoque ſibi maximè ſubditos habebit magiſtratus, quos ad libitum ſi quid peccent deponere poterit.

tentum & occupatum. Finge comate ſomnolento preſſum, in quo communis torpeat ſenſus, ferientur & externi impedito ſpirituum animalium affluxu. Inexplebilem in lethargo finge in ſomnum propenſionem, & obviabit mollis Sardanapalus inſtantis neſcius mortis, ſomno libidinis gravatus, indignus qui vigiles ad cuſtodiam ſui ſalutemque ſervos nuntioſque habeat. Finge rotatis & circumactis in vertigine ſpiritibus cerebrum ſpeciebus exagitatum. Finge in melancholiâ uni intentum; finge triſtitiâ metuque affectum. Finge in phrenetide perpetuum delirium aſſiduæ conjunctum febri. Finge in maniâ diuturnam mentis cum ferociâ igneſcentibus ſpiritibus emotionem: finge ut cæteros affectus ſileam, in epilepſiâ convulſi corporis crebram diſtentionem: & principem exhibes tibi inconſtantem & verſatilis ingenij, nullius conſilij tenacem: exhibes tibi adverſante ſcelerum ultore Deo, ſceleſto fruſtratum conſilio, anxium & pavidum: exhibes tibi inſanientem & furore percitum, ſævientem in ſuos, in ſemetipſum, exagitantem ſeſe & divexantem. Hęc rudis mali principis idæa; hæc publica calamitas. Ex qua confectum arbitror, & ſatis pro inſtituto demonſtratum reipublicæ intereſſe maxime, à bono regi principe, ſine quo nulla publica fœlicitas.

CAPUT III.

De reliquis ad publicam fœlicitatem conducentibus.

HÆc,ut dixi,revocantur ad Magiſtratuum æquitatem, fidem & conſtantiam, litterarum cultum & ſplendorem, amorem ſubditorum erga principem, & rerum omnium abundantiam : quæ rudi penicillo adumbro.

Ad publicam itaque fœlicitatem requiritur Magiſtratuum integritas, fides & conſtantia. Nam & leges ferre ad publicam tranquillitatem principis eſt : ſervandas curare, Magiſtratus & Judicis, nempe lex præcipit in univerſum : legem vero ad caſus particulares applicare, & lites dirimere, Judicis eſt à principe commiſſi, non ipſius principis, ne nimia cum ſubditis familiaritas pariat contemptum. Ergo quàm ad publicam tranquillitatem neceſſaria eſt juſtitia, tam neceſſaria eſt Magiſtratuum æquitas.

Necessaria eſt juſtitia : jus enim & æquitas ſunt vincula civitatum, ait Tullius: & remota juſtitia, quid ſunt regna niſi magna latrocinia? ait ſanctus Auguſtinus. Hinc Sapiens: *Juſtitia firmatur ſolium :* & divinus Plato ἔρμα πόλεων juſtitiam nuncupavit.

—— Vbi non eſt pudor Prover. 16.
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides, la. de leg.
Inſtabile regnum eſt.

agendis dare poſſint conſilium, qui futura ex præteritis præſagiant: hoc autem non eſt expectandum ab ignaris & hiſtoriarum imperitis, vel rudi & inculto genio præditis.

Hinc ſapientiſſimi quique principes maximam litterarum litteratorumque habuere ſemper rationem, Academias ſumma diligentia & ſingulari ſtudio inſtituere: viros Academicos propoſitis præmiis pellexere, multis prærogativis, & muneribus affecere. Sic Carolus Magnus noſtram creditur Academiam inſtituiſſe, ex tranſmarinis regionibus doctiſſimos accerſiſſe, ut refert Gaguinus. Hanc Philippus Augustus auxit & locupletavit: hanc benignitas Regum ſucceſſorum ſervavit & amplificavit. Et tantum honorem litteris detulit omniũ gentium litteratiſſima Gallia ut noſtræ Academiæ rectores ad ſanctiſſima conſilia advocarent olim Reges, eorumque conſiliis ſummam haberent fidem. Antiquiſſima certe ſunt in Gallis noſtris litterarum ſtudia, antiquiſſimæ Academiæ, quarum adinſtar Reges Anglos ſtudia in ſuo regno inſtituiſſe narrat Venerabilis Beda auctor antiquiſſimus.

Subditorum erga Principem ad eamdem fœlicitatem neceſſarius amor, ut enim felicitas familiæ ex mutuo parentum liberorumque amore naſcitur: ſic & publica ex mutuo Principis & ſubditorum. Ut ergo liberos debitum par eſt parentibus exhibere cultum, eoſque ſummo amore complecti, ſic & ſubditi ſingularis amoris atque pietatis erga Principem præbere debent ſpecimina: quippe ut paternum erga ſubditos Princeps habere debet animum, ſic & ſubditi filialem.

Tu civem patremque geras.

Et Principum dominatio divinæ poteſtatis quædam emanatio eſt: At *patrium*, inquit Seneca, *ergo ſuos ſervat Deus animum.*

L. de Provid.

Omnium deniq; rerum ſufficientia & copia: ut enim diximus, vel nulla, vel admodum imperfecta ſtare poteſt cum egeſtate felicitas.

TRACTATUS ALTER.

De mediis ad felicitatem Politicam *conducentibus.*

HÆc ſunt quæ veri numinis cultum promovent, mutuum ſubditorum & Principis excitant amorem, leges firmant & Magiſtratuum fovent integram æquitatem: litterarum augent ſplendorem, & rerum omnium accerſunt copiam; publicam proinde aſſerunt tranquillitatem. Hæc omnia moliri, quia Principis partes fuerint, ſic à nobis attingentur, ut ad principem attinent.

DE

DE

DE PROCURANDO VERI NUMINIS DEBITO CULTU.

ANTE omnia ob oculos habeat bonus princeps, hoc divini Platonis effatum: Veri Dei ignoratio, ſumma eſt omnium rerumpublicarum peſtis: itaque omnis humanæ ſocietatis fundamentum convellit qui religionem convellit. Hoc ſi ſemel animo inſculptum habeat,

AD pietatem proprio exemplo ſubditos inflammabit: *Pietate & iuſtitia principes dij fiunt*, aiebat Auguſtus. Cogitabit maximos quoſque & optimos Imperatores pietate non minus quam armis præluxiſſe ſuis, & extraneis incuſſiſſe terrorem. Cyrus referente Xenophonte ante tentatum, & precibus fatigatum Numen nihil moliebatur: Aſſyrios aggreſſurus vero numini litavit: hinc Deus apud Eſaiam Prophetam: *Paſtor meus es*, ait ad Cyrum, c. 44.
& omnem voluntatem meam complebis. Idem de Alexandro narrant Hiſtorici, quod non minus Ariſtandrum conſuluerit quam Epheſtionem & Craterum, quod boum in exercitu quibus litaret Diis non minus curam habuerit, quam equorum. Hinc de Alexandro quoque ſacra Scriptura: *Siluit*, inquit, *terra in conſpectu eius.* Revera referente Ioſepho flexis genibus obvium in Judæa coluerat Sum-

mum Pontificem. Idem alij fecere inter fideles Imperatores præcipui: David: *Septies*, inquit, *in die laudem dixi tibi*: & , *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*: Ad quod ſanctus Ambroſius advertens: *Si Propheta*, inquit, *qui regni neceſſitatibus erat occupatus, media nocte, & ſepties in die laudem Deo dicebat, quid nos facere oportet?* Nec nobis homicidium Davidis & adulterium obtrudant: *Peccavit enim*, inquit iſdem S. Ambroſius, *quod ſolent facere Reges, & pœnitentiam egit quod non ſolent facere Reges.* Sileo plures alios pietate ut & invicta fortitudine præ cæteris conſpicuos, ut Conſtantinum Magnum, qui tanto Chriſtianæ pietatis & abjectionis ſenſu præditus fuit, ut ad primæ Eccleſiæ in urbe Roma ædificationem duodecim propriis humeris terræ cophinos aſportaſſe referant Hiſtorici, ut præſentibus in Concilio Epiſcopis ſingulari reverentia ſententiam ſuam aperire recuſaverit. Non refero Theodoſium Magnum, & in Gallia noſtra Clodovæos, Carolos Magnos, Robertos & Ludovicos, quorum pietatem nulla delebit oblivio.

l. 3. de Virg.

Apologia David.

Pietatem ubi proprio exemplo ſuis inſpirarit princeps, Dei in univerſam plebem advocabit & pertrahet beneficia, quod eo melius præſtiterit, quo majori ſtudio omnes hæreticos vel hæreticæ pravitatis & novitatis fautores compeſcuerit & amandaverit: ut enim de Deo optime exiſtimare, pietatis eſt exordium, inquit S. Auguſtinus, ſic & falſas de Deo diviniſque ſententias non pati, ejuſdem eſt complementum. Hoc autem maxime pertinet ad Principem, qui auctoritate conceſſa errores expugnare poteſt & effocare: ut enim

l. 1. de lib. arb.

ait divinus Plato 10. de legibus : *Nemini licere debet, ut quos velit privatim Deos habeat, aut ut verum Deum pro animi ſui arbitrio colat, aut religionem ipſe ſibi inſtituat:* Ergo non patietur ſubditos alterius religionis, ſi ſine publico detrimento eos amandare poſſit. Bene ad ſuperiores S. Cyprianus : *Puniantur à te ne tu pro illis puniaris.* Re vera divinas leges quantum fieri poterit obſervandas curare debet princeps. Si tamen alterius religionis ſubditi veram fidem non corrumpant, ſi non ſollicitant ad apoſtaſiam, retrahendi ſunt quidem ab errore quantum fieri poterit, non ſunt tamen ultimò cogendi: *Nihil enim*, inquit Lactantius, *tam voluntarium eſt quam religio:* fideſque ait ſanctus Bernardus, ſuadenda eſt, non imperanda. Sileo nullas eſſe ardentiores rixas & crudeliora bella, quam quæ religionis cauſa ſuſcipiuntur, in quibus quiſque ſi moriatur fortiter, ſupra omnes felicem ſe putat & beatum.

DE

MVTVO PRINCIPIS ET SUBDITORUM FOVENDO AMORE.

NIHIL ad fovendum principis erga ſubditos amorem potentius, quam cultus & reverentia ſubditorum; nihil quoque ſubdito-

torum obſequioſum ardorem erga principem magis adauget, quam clementia Regis & beneficentia.

Cultus ſubditorum regis amorem provocat: cum enim impellente natura ad eos diligendos incitemur qui noſtri ſunt, tum maxime, cum ſuo cultu ſingularique reverentia nos ſibi devinciunt. Nempe ut gloria, ſic & voluptas ac amor patris benevoli eſt filius obediens & ſapiens, principis quoque qui paternum erga ſuos gerit animum.

Subditorum quoque amorem excitat clementia & beneficentia principis.

—— Nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos aquat clementia nobis.

Revera factus eſt princeps divitiarum & bonorum dominus: eas ſi non effundat in ſuos, proprij non publici videbitur commodi ſtudioſus: Bene faciendo ſibi maxime addicit ſubditos: *Beneficium enim accipere*, inquit Publius Mimus, *libertatem vendere eſt.* Benefaciendo quoque principes quantumvis iratos ſubditorum placant animos. Hinc Ovidius:

Munera crede mihi placant homineſque Deoſque;
Placatur donis Iuppiter ipſe datis. 3. de arte amandi.
Sæpe Iovem vidi cum iam ſua fulmina vellet
Mittere, thure dato ſuſtinuiſſe manum.

Verbo omnia complexus fuerim, ſi quod inſinuatum jam omniumque officiorum Regaliũ fundamentum eſſe voluerim cum præſtantiſſimis authoribus, hoc alte inſideat principium, quod nempe

Principis animus in ſubditos paternus eſſe debet.

Tu civem patremque geras, ait Theodoſius ad Honorium

Pater ſibi nòn conſulit, ſed liberis, totus familiæ bono intentus eſt: ergo & bonus Princeps ſubditorum ſaluti maxime debet conſulere, conſulere legibus æquís, quæ civibus, non ſibi proſint: conſulere exemplo:

——Tu conſule cunctis.
In commune iubes ſi quid, cenſeſque tenendum — Claudian. in Paneg. 4. Honorij
Primus iuſſa ſubi: tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi: componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent quam vita regentis.

Pater manſuetam & benignam exercet in ilios ſeveritatem: amari geſtit, non timeri: amore liberorum ſecurus eſt contra calamitates vitæ & deficientis ætatis ærumnas: ergo & princeps ſuave in ſuos exerceat imperium, tyrannicam abhorreat crudelitatem: ſubditorum amorem quærat, non metum.

Sis pius in primis: nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.
Neu dubiè ſuſpectus agas, neu falſus amicis,
Nummorumque avidus: qui talia curat, inanes
Horrebit ſtrepitus, nulla non anxius hora,
Non ſic excubiæ, non circumſtantia pila
Quàm tutatur amor, non exhorrebis amari.
Hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat.

Qui terret, plus ipſe timet; ſors iſta tyrannis
Convenit, invideant claris, forteſque trucident:
Muniti gladiis vivant ſeptique venenis,
Ancipites habeant arces trepidique minentur,
Tu civem patremque geras.

Meminerit princeps expeditius eſſe augere regnum quam fuit accipere, ut loquitur Curtius.

Meminerit non oportere quemquam à ſermone principis triſtem diſcedere, ut aiebat Veſpaſianus.

Meminerit ſe diem perdidiſſe in quo nemini benefecerit, ut antiquus dicebat Imperator.

Meminerit demum moniti Theodoſii ad Honorium.

—— Virtute decet non ſanguine niti,
Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Serus adorent
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris ira
Servitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris rex eſſe tui.

Nempe.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet quanto maior qui peccat habetur.

Hoc in principe virtutis ſtudium, ſtudium & boni publici atque ſubditorum, nobilem ad maxima quæque pro publica felicitate in bellis ſubcunda diſcrimina ſanguinem excitabit. Hinc non ſine cauſa gladium portat, ut loquitur Scriptura.

DE FOVENDA
FIRMANDAQUE
MAGISTRATUUM ÆQUITATE.

QUAM ſtudioſus debet eſſe princeps ut bene faciat ſuis, tam ſedulus eſſe debet & intentus creandis Magiſtratibus & fovendis: his enim publica fovetur ſalus & tranquillitas, quibus unicuique quod ſuum eſt tribuitur.

ELIGET ergo viros ut pietate inſignes, ſic & legum ſcientia, probataque omnibus integritate conſpicuos. Habebit ſemper ob oculos Magni Conſtantini illuſtre decretum: Si quis eſt, inquit, qui ſe in quemcumque Judicum, Comitum, Amicorum, vel Palatinorum meorum aliquid veraciter probare poſſe confidit, quod non integre atque juſte geſſiſſe videatur, intrepidus & ſecurus accedat: ipſe audiam omnia, ipſe cognoſcam, & ſi fuerit comprobatum, ipſe me vendicabo de eo, qui me uſque ad hoc tempus ſimulata integritate deceperit: illum autem qui hoc prodiderit & comprobaverit, & dignitatibus & rebus augebo. *In Codice Theodoſiano.*

Hoc ut felicius præſtet & ſecurius, munera & magiſtratus non vendet: ſic enim iis gerendis ſæpius aſſumuntur minus idonei; quia ſæpius in probos & doctrina conſpicuos iniquior fortuna ſævit: ſic quoque ſibi maximè ſubditos habebit magiſtratus, quos ad libitum ſi quid peccent deponere poterit.

Non eliget in Magiſtratus juniores : ii enim nondum à paſſionibus ſunt immunes, ſicque rebus jucundis à ſuo munere avocari poſſunt & flecti : Flos ætatis, ait Auguſtinus, periculum eſt mentis.

Eliget ergo ætate provectiores, quos maturior ætas & paſſionum impetibus ſubduxerit, & rerum humanarum fecerit peritos.

Ne augendæ rei familiaris & amplificandæ ſtudio tentari poſſit & propoſitis muneribus, ipſe princeps judicis integritate conſpicui, & publicæ tranquillitatis maxime ſtudioſi familiæ evehendæ & amplificandæ curam geret. Sane cui potiori jure benefaciat Princeps ſuaque diſpenſet munera, quam ei qui jus ſuum cuique tribuens, ſocietatem, pacem atque tranquillitatem publicam fovet & tuetur ?

DE

PROCURANDO ARTIUM LIBERALIUM ATQUE LITTERARUM SPLENDORE.

Quamvis ut ait Claudianus,

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortuna ſecura nitet,

Sitque divitiis animoſa ſuis,

Nemo tamen, inquit Juvenalis,
Virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas.

Hinc, inquit Tullius, nec domus nec reſpublica ſtare poteſt, ſi in ea nec recte factis præmia extent ulla, nec ſupplicia peccatis: ſi ergo ad maxima quæque tentanda perficiendaque magnum merces eſt incitamentum, ſane ad ſtudia litterarumque ſplendorem maximum.

Primo, quia litteræ & profundiora ſtudia maxime ſterilia ſunt & infœcunda; ſtudentibus fortunas non accerſunt nec opes: iis qui totum ſe devovet, is rem familiarem non auget, ſed abſorbet.

Secundo, quia litterati maxime proſunt Reip. aliquando omnino neceſſarij: ergo ab ea foveri debent, dignus eſt enim operarius mercede ſua.

Denique, quia iniquum eſt eos præmiis privare, quos reliquis natura eminere voluit, nec poteſt non eſſe ingrata admodum & injucunda opera quæ navabitur litteris, ſi ſola ſua careat mercede, cum aliæ longe viliores cumulatè penſentur.

Optimus ergo princeps & ſapiens, litteratos præmiis afficiet pro meritis, & ampla mercede eorum ſtudia inflammabit: recordabitur ejus quod eximie ait Symmachus: Specimen eſt florentis reip. ſi diſciplinarum profeſſoribus pręmia opulenta pendantur, & quia ejus eſt potiſſimam habere curam eorum quæ maxime faciunt ad publicam felicitatem, ut Religionis atque fidei, præcipuum ſtudium collocabit in remunerandis litteratis, quorum ſcientia & eruditio ad fidei incolumitatem & propagationem, ad morum integritatem & caſtitatem, ad Eccleſiæ & Hierarchicæ poteſtatis defenſionem maxime conduxerit. Hinc

Res Eccleſiæ nihil ſunt aliud niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. *S. Proſp.*

Beneficia Eccleſiaſtica & dignitates iis maxime conferet, quos litterata ſanctitas & ſancta eruditio, non quos ſola generis nobilitas commendaverit: ſunt enim patrimonia pauperum, non inſtrumenta cupiditatis: ſunt redemptiones animarum, non pretia ambitionis & pabula libidinis. Cogitabit Chriſtianus Princeps oneroſam ſibi magis quam honorificam eſſe ſibi ad beneficia & dignitates Eccleſiæ ſubditos eligendi facultatem. Cogitabit nec ſe Apoſtolis ipſis divino ſpiritu animatis, & meliorem & ſapientiorem. Electuri Apoſtoli & ſuffecturi Matthiam in locum proditoris Judæ, non conſuluere ſanguinem aut nobilitatem, non privata ſtudia, ſed luminum parentem. Oſtende nobis, aiunt, quem elegeris ex his duobus, propriũ ergo non conſulet, ſed Eccleſiæ ſenſum, & Dei loquentis in Conciliis & Patribus, quorum effata & ſtatuta à viris ſummæ & probitatis & eruditionis quos vocabit ad conſilia, excipiet. *Moyſes*, inquit S. Hieronymus in Epiſtolam ad Titum, *amicus Dei potuit utique ſucceſſores Principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem, ſed extraneus de alia tribu eligitur Ioſue, ut ſciamus Principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe ſed vita. Electores*, inquit Concilium Colonienſe, *ſolliciti ſint ut talem præficiant, qui officio ſatisfacere poſſit, virum ætatis legitimæ, moribus gravem, litterarum ſcientia peritum, ſcientes ipſis in re tam gravi vel dolo vel negligenter agentibus, non minorem quam malis paſtoribus & Prælatis quos ipſi præfecerint, in diſtricto Dei judicio imminere pœnam.*

Langueſcit ſæcularium pietas ubi Clericorum vita non ſplendeſcit. *Synod. a. 1592.* c. 8.

Ideo non volentes neque currentes aſſu-

mat Princeps ſed cunctantes & renuentes,ut loquitur S. Bernardus, onus enim eſt angelicis etiam formidandum humeris: *Nec quiſquam*,ait Apoſtolus *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, unde nec Chriſtus ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret. Munus Spiritus ſancti*, ait D. Ambroſius, *eſt officium ſacerdotis*. Ad hunc gradum & dignitates Eccleſiaſticas nemo evehatur, quem aliqua vitiorum deformat macula; *Miſiſtis*, ait Bernardus, *manum ad gubernaculum, opus eſt fortitudinis: ſpeculatores facti eſtis, opus eſt prudentiæ: prædicatores facti eſtis, opus eſt ſcientiæ: opus eſt juſtitiæ quia facti eſtis omnibus debitores: ridicula res eſt, ſpeculatores cæci, prædicatores muti, doctores inſcii, Prælati fatui.* *l. 4. ad Eugenium.* *Hebr. 5.*

Meminerit demum Princeps pernicioſam eſſe conſuetudinem, ut loquitur Concilium Toletanum 4. quæ majorum ſtatuta prætereiens omnem Eccleſiæ ordinem perturbavit: meminerit in judicio Dei ignis æterni tormenta paſſurum qui Eccleſiaſtica decreta neglexerit, ut loquitur S. Clemens epiſt. 1. hoc ubi ſervare Principem & ſtudioſe inquirere agnoverint ſubditi, florebit ſcientia & eruditio: continget quod optabat olim Petrus Bleſenſis, ut ad honores vocentur Clerici propter onera, non ad multiplicandum numerum familiæ aut equorum, non ad dandas parentibus dignitates, ſed ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, arma clericorum orationes erunt & lachrymæ, ut jubet Synodus Senonenſis, & Deum in ſe exhibebunt ſanctum & alios ſanctificantem, ut requirit S. Thomas. *Epiſt. 15.* *q. 34. ſupplementi.*

DE RERUM OMNIUM PROCURANDA ABUNDANTIA.

Rerum omnium copiam in ſuo regno procurabit Princeps, ſi quantum in ſe erit neminem patiatur otioſum: ignavia enim, ut omnium vitiorum, ſic & egeſtatis eſt parens. Ideo curabit Princeps ut omnes artes colantur, mercatores ſua benevolentia fovebit, & ad commercia excitabit, nihil quippe ad augendas regni divitias commercio & negotiatione potentius. Hinc ſteriles etiam provinciæ, ubi incolas commercij cum exteris gentibus ſtudioſos nactæ ſunt, ditiſſimæ & potentiſſimæ evadunt, ut videmus in Batavia: mirum eſt enim populos quibus ingratiſſima tellus, negotiationibus ſuis & commerciis tot opes congeſſiſſe. Sileo per commercia exterarum gentium explorari vires & deprehendi, quod maxime ad conſilia Politica conducit,

PRINCEPS
EX C. TACITO.

OPVS I. CELSI
MINIATENSIS I. C.

AD ILLVSTRISSIMVM
Alexandrum Strozzam Mi-
niatenſem Epiſcopum.

MONITUM

AVTHORIS

AD LECTOREM

HIc te tantiſper, mi Lector. Carpis me, non neſcio, quod multa in hac Centonis mei congerie à Taciti mente, & ſenſu, dicam aliena. Fateor equidem. At non rectè culpas, niſi id unum oſtendas, aliquid me in ſententiam improbam, aut falſam inflexiſſe, quod non feci. Nam quin aliquid intorquerem, aut pauxillum flecterem, cùm in connexionibus, tum ad aliquam ſententiam explendam, facere non potui. Neque vero id novum, & à me ſolùm uſurpatum, ut, quod ſingulari quodam ſenſu dictum eſt, ad generalem transferatur. Dixerat Anna Didoni,

Virg. 1. Æneid. *Id Manes, & cineres credis curare ſepultos?*

innuens nullam injuriæ notam oſſibus primi viri Didonem allaturam, ſi denupſiſſet Æneæ; Et tamen Petronius Ar- *Sat. lib.* biter eo ſenſu hunc verſum ſuggerit mulierem illam ſolanti in morte mariti, quaſi nil ejus luctus, & lacrymæ jam *Hiſt.* extincto prodeſſent. Tacitus etiam ſcri- *lib. 5.* bit, quod Judæis perſuaſum eſt, unum *Pol. lib.* eſſe omnium Regnatorem Deum, cùm *1. c. 2.* tamen Juſtus Lipſius talia verba transferat ad eum ſenſum, qui debeat eſſe omnium nationum. Ergo ſi vitio vertis, quod magni viri fecerunt, vel inhumanus es Lector, aut ego me tuebor exemplo.

CONSILIUM
OPERIS,
SEV PRÆFATIO
EX TACITO.

CONSILIUM mihi eſt pauca de principatu tradere [a], alienis ſententiis, imò & verbis; Nam ego nunquam facūdiam exercui [b], ſine ira, & ſtudio, quorum cauſas procul habeo [c], utcunque reperturi ſint, qui ob ſimilitudinem morum aliena facta ſibi objectari putent [d]. Et quanquam pleraque eorum, quæ referam, parva forſan, & levia memoratu videri poſſe non ſum neſcius, non tamen ſine uſu fuerit introſpicere illa primo aſpectu levia, ex queis magnarum rerum monitus oriuntur, & quæ forſan utilius aliis ſit

a *Tac. 1. Annal.*
b *4. Hiſt.*
c *1. Annal.*
d *4. Annal.*
Ibid.

4. Hiſt. audiſſe, quam nobis dixiſſe. Hic interim liber Principi deſtinatus, profeſſione erga eum affectus, aut laudatus, erit, aut excuſatus. In Agricol.



PRINCIPIS
EX TACITO
PARS PRIMA.
SUMMA.

TRES Imperij formæ, inter quas Monarchia eaque hæreditaria, ratione & exemplo præfertur. In eâ Princeps curam habere debet religionis & probitatis, ſtudiis incumbere, ſed temperanter. Initio præſertim quærere bonum nomen, amore apud populares, apud hoſtes metu: In improbos ſeveritate; ſed modicâ, & per leges: paucas quidem, ſed quæ exactè ſerventur: in probos clementiâ & liberalitate, non prodigâ: apud omnes

juſtitiâ, modeſtiâ, comitate, quæ tamen authoritatem non minuat: Majeſtatis enim intereſt ſui reverentiam excitare. Hinc non ita ſit frequens egreſſus in publicum, non ſeceſſus nimius: Imo quandoque ludos edat Princeps magnificos, & ſua dignitati nō impares, præſertim ſi ſui fuerint ijs aſſueti; id tamen ſine luxu, ne quod ærarium ad nobiles fovendos, curandam pro vulgo annonam, & ſuſtinenda cætera reipublicæ onera comparatum eſt, in vana, & plebis indignantis querelas motura ſpectacula impendatur.

Tres imperij formæ. Vox liberior Taciti. 1. liberæ authoritati αὐτεξουσία. *Monarchia præfertur.*

CUNCTAS nationes, & Urbes, Populus, aut primores, aut ſinguli regunt *a*, & delecta ex his, & conſtituta Reipub. forma faciliùs laudari, quàm evenire, vel ſi evenit, haud diuturna eſſe poteſt *b*. Populi imperium juxtà libertatem: Paucorum Dominatio Regiæ libidini proprior eſt *c*. Sed unum tamen Imperij corpus, unius animo regendũ vide-

a 4. An. *b* Ibid. *c* 6. An.

d 1. An. tur *d*. Vetus enim, ac pridem inſita Mortalibus potentiæ cupido, *e* quæ cunctis affectibus flagrantior eſt *f*, adeovt arduum ſit eodem loci potentiam, & concordiam eſſe *g*, niſi diſcordantis Patriæ, remedium ſit, ut ab uno regatur. *h* Itaque pacis intereſt omnem poteſtatem ad unum transferri *i*, quomodo Auguſtus, cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepit. *k* Etſi autem optimum quemque electio invenit *l*, naſcique, & generari à Principe fortuitum eſt, nec ultra æſtimatur *m*; ſcimus tamen minori diſcrimine ſumi Principem, quàm quæri *n*, cum opportuni ſint magnis, aut novis conatibus tranſitus rerum *o*, & plebem videamus, mortuo Principe motus novi cupidam *p*.

e 2. Hiſt

f 1. An

g 4. An.

h 1. An.

i I. Hiſt

k 1. An.

l 1. Hiſt.

m Ibid.

n 2. Hiſt

o Ibid.

p Ibid.

Rationibus monſtratur.

Et exemplo.

Succeſſio, an electio? illa.

Et quare.

Sed ut ut ſit, prima principatus *q* ratio eſto, Religione, & Divino jure populum vincire *r*: & quidem unâ, cum ex diverſitate morum crebra *ſ* bella: atque veneretur Princeps ſummum, &

q 13. An

r 3. An.

ſ 5. Hiſt

Religionis prima inſpectio. Sed unius tantû.

æternum illud, neque mutabile, neque interiturum *t*, unum inquam omnium Regnatorem Deum *u*, nec non Summum Pontificem, ſummum hominum, non æmulatione, aut odio, aut privatis affectibus obnoxium *x*, neque patiatur ritus ejus, inter adverſa cultos, per proſpera obliterari; *y* Adeſt enim Deus juſtæ vindictæ, *z* nec durant longè, qui ex magna fortuna licentiam tantum uſurpant *a*, non ad curas intenti, ſed iners otium oblectando *b*, ſtupris, & adulterijs Principem agunt *c*, per licita, & illicita ſe fœdantes. *d* Nil opus vetuſtioribus, aut recentioribus exemplis *e*; ſit ante oculos Nero, quem ſua luxuria, ſua immanitas cervicibus publicis depulere *f*, quin imò facinora, atque flagitia adeò ipſi in ſupplicium vertunt *g*, ut, eorum mens ſi recludatur, aſpici poſſint laniatus, & ictus: quando, ut corpora verberibus, ità ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceratur *h*.

Hæc ut effugiat Princeps, &

Pontifex etiã.

Ritusq; ſacri

Nam Deus vindex.

Nec aliàs durabile Regnũ.

Exemplum de Nerone.

& conſcientia torquet.

Princeps

t ibid.
u ibid.
x 3. An.
y 11. Annal
z 14. A.
a 4. Hiſt & in Agric.
b 12. An.
c 4. Hiſt
d 15. An.
e 3. An.
f 1. Hiſt
g 6. An.
h 6. An.

quò firmior adverſus fortuita, *bonis*
i 4.Hiſt. Rempub. capeſſat *i*, non, ut ple- *artibus*
rique, ſegne otium nomine mag- *ani-*
k Ibid. nifico *k* velet, animum quoque *mum*
l 15.An. bonis artibus inbuat *l*, virtutem- *imbuat.*
m 4.Hi. que proprium hominis bonum
ſectetur *m*. Non tamen ſtudia, *Studia*
Philoſophiæ præſertim, ultra *ſecte-*
n Ibid. quàm conceſſum ſit Principi, *tur.*
haurire velit *n*, retineatque
(quod eſt difficillimum) ex ſa- *tempe-*
o ibid. pientia modum *o*. Sed ratio in ob- *ranter.*
p ibid. ſcuro *p* & neſcio qua fati occulta
q 1. Hi. *q* lege, initia Principatus melio- *Initia*
r 15.An. ra, finis inclinat *r*, acribus, ut *princi-*
ſ 6.An. fit, initijs, incurioſo *ſ* fine, adeò *patus*
vi dominationis quiſque com- *fine me-*
t 5.An. mutatur *t*. *liora.*

Cum autem inviſum ſemel, *ſemel*
u 1.Hiſt. ſeu bene, ſeu male facta pre- *inviſus*
mant *u*, hoc unum Principi initio *ſemper*
parandum, proſpera ſui memo- *idem.*
x 4.An. ria *x*; Cæteris enim mortalibus *Ideo bo-*
in eo ſtant conſilia, quid ſibi *num*
conducere putent: Principum *nomen*
diverſa ſors, quibus præcipua *à prin-*
y 4.An. ad famam dirigenda *y*, quæ pri- *cipio.*
z 13.An. mis cœptis validiſſima *z* eſt. *Diverſa*
Princi-
pum &
privatorum ſors. Fama optima initio

Præcipue vero novum imperium inchoantibus utilis eſt clementiæ fama [a];Etenim metus, & terror infirma vincula caritatis ſunt, quæ ubi removeris, qui timere deſierint, odiſſe incipient [b].

metus odium parat.

a 4. Hiſt. *b* in Agr.

Ideo amorem Princeps apud populares, metum apud hoſtes quærat [c], effuſus clementia, & modicus ſeveritate [d].Verum cum flagitia, & facinora ſine modo ſint [e],graveſcentibus in dies publicis malis [f], non erit maleficium impunè habendum [g], ſed ſupplicijs, ac remedijs temperandum [h],& pro magnitudine delicti pœnam ſtatui par fuerit [i], adeoque more majorum [k]; Corporis enim morbos veteres, & diu auctos, non niſi per dura, & aſpera coerceas. [l] Et quidem plura peccantur, dum demeremur,quàm dum offendimus [m]: Nec ullum ſatis validum Regnum,ubi flagitia proteguntur [n]. Non tamen utendum Imperio, ubi Legibus agi poteſt [o]:Et Princeps, quamvis inſtar Deorum,

Pœna tam ne locum eſto.

Pro magnitudine facinorum.

Leges valeant Princeps inſtar Dei eſt.

c 11. An. *d* 9. An. *e* 3. An. *f* 14. An *g* 3. An. *h* Ibid. *i* 14. An. *k* Ibid. *l* 3. Ann. *m* 15. A. *n* 3. An. *o* 3. An.

tamen ab illis ſcimus non niſi
juſtas ſupplicum preces audiri p.
p 3.An. Sed enim oportet omnia ſcire,
non omnia exequi, parvis pec-
catis veniam, magnis ſeverita-
tem accommodare, nec pœna
ſemper, ſed ſæpius pœnitentia
q In Agric. contentum eſſe q; Et quanquam
adverſus ſontes, extremaque
exempla meritos, tamen miſe-
ratio quoque oriatur; Non enim
r 2. An. quidquid reus pati meretur, id
egregio ſub Principe ſtatuen-
dum; carnifex, & laqueus pri-
dem abolita nomina ſunt ſ, &
ſ Ibid. pœnæ legibus conſtitutæ, qui-
bus ſine ſævitia ſupplicia decer-
t 14.An. nantur t. Uno verbo, nec domina-
tionem, nec ſervos, ſed Recto-
rem, & Cives cogitet, clemen-
tiam, & juſtitiam capeſſat u: Juſ-
u Ann. titiam inquam, ne id æquius,
x 15.An. quod validius x ſit: adeoque ipſe,
y 4.An. ſi quando cum privatis diſcep-
tat, & forum, & y Jus.

Cum modo tamen.

Et miſeratio prævaleat.

Juſtitia eſto.

Etiam cum Principe diſceptando.

Sed quia fori tabes pecu-
niam Advocatis affert z, qui pro-
z 11.An. feſſoria lingua a non jus, aut ve-
a 13.An. rum in cognitionibus; ſed ſo-

Advocatorum iniquitas, ſub improbis Romanæ Principibus, dum et accuſatos probos quoſque os & [illegible] Advocati peſſimi adeoque Optima ſunt & ad hominum tutelam comparata in perniciem ſub malo Principe detorquentur.

Princeps in judicio nihil ex rumore fiat. Cui innocentes impares ſunt. Vulgus falſis Reos facit. Nimius ardor contra eos, illi prodeſt aliquando. Leges ſanciat Princeps. Pauca ſint nam multæ leges ob ſunt & contempta in peius

lùm magnitudinem opum ſpectant *b*, nilque tàm venale eſt, quàm Advocatorum perfidia *c*, quandoque idem Princeps judicijs aſſideat *d*, ne inauditi & indefenſi tanquam nocentes pereant *e*: Atque ubi conventus, & judicia poſcant, gravis, intentus, ſeverus, & ſæpius miſericors *f*. Videat ne quidquam ex rumore ſtatuatur *g*, nam innocentes plerumque recenti invidiæ impares ſunt *h*: ſed ut integris animis dijudicetur *i*, ne objecta crimina pro approbatis habeantur *l*; Cum mos ſit vulgo falſis reum ſubdere *l*, Idque facilè aſſequetur, quod vera, & in deteriùs credita, ab uno melius diſcernuntur: odium, & invidia apud multos valeſcit *m*. Sed iſtud quidem ſæpè reo proficit *n*; Nam in judicio Piſonis cum accuſatores ac teſtes certatim perorarent, reſpondente nullo, miſeratio, quàm invidia augebatur. *o* Sanctor etiam ſit legum, quibus ipſe Princeps obtemperet *p*, atque

b 2. Hiſt.
c 11. An.
d 1. An.
e 1. Hiſt
f In Agric.
g 3. An.
h 1. An.
i 3. An.
i Ibid.
l 1. An.
m 3. An.
n Ann.
o 3. An.
p 3. An.

det Jura, queis pace, & Prin-
q Ibid. ceps utatur *q*, ſed parcè; Nam
corruptiſſima Reſp. plurimæ le-
r Ibid. ges *r*, quarum plures à majori-
bus repertæ, oblivione, vel
quod flagitioſius eſt, contemp-
tu abolitæ, ſecuriorem luxum
ſ ibid. fecere *ſ*; Cum etiam ſuper om-
nibus negocijs melius, atque
rectius olim proviſum, & quæ
convertuntur, in deterius mu-
t 14. An. tentur *t*. Ut ſatius ſit ſapienter re-
perta, & ſemper placita non
u 3. An. vertiu. His addatur modeſtiæ fa-
ma, quæ nec à ſummis mortali-
bus ſpernenda eſt, & à Dijs e-
tiam æſtimatur *x*. Quid enim
x 15. A. Princeps inſoleſcat *y*? Cuncta
y 2. An. mortalium incerta, quantoque
magis adeptus ſit, tanto plus in
lubrico eſt *z*. Sit ore compoſitus *a*,
z 1. nn. ſermone, imperatoria brevita-
a 2. An. te *b*, viſu, & auditu juxta venera-
b 1. Hiſt bilis, ut magnitudinem, &
gravitatem ſummæ fortunæ re-
tinens, invidiam, & arrogan-
tiam effugiat *c*: nec ei (quod eſt
c 2. An. rariſſimum) facilitas auctorita-
tem, aut ſeveritas amorem mi-

redunt; cetera rectè ordinata. Et in peius mutantur.

modeſtia fama.

A Deo etiam exiſtimatur.

Omnia vanitas.

Qualis Princeps in externis.

Spernat vulgi ſermones ne in peius erumpant

tendat diem editionibus trahere potiùs, quàm ſolum, & nullis voluptatibus avocatum, mœſtam vigilantiam, & malas curas exercere *u*. Neque profectò majores abhorrebant ſpectaculorum oblectamentis *x*, quibus Romani plus adverſus hoſtes valuerunt, quàm armis *y*; cum populus quieti, & otio per voluptates aſſueſcat *z*, adeo ut, quod apud imperitos humanitas vocatur, pars quædam ſervitutis ſit *a*.

*u*3. An. *x*14. An *y*4. Hiſt *z*In Agr *a* Ibid.

Rarus egreſſus foras. Non tamen nimis. nam mali animi ſignum eſſet. Ludis aliquando ſe oblectet.

Id autem neceſſarium aſſuetis *b*; Nam populum, per tot annos molliter habitum, quis audeat ad duriora vertere? Hæc tamen caute, ut lætitiæ potius, quàm laſciviæ dentur *d*; Animo enim, per laſciviam corrupto, nihil honeſtum ineſt *e*. Ideoque Hiſtriones, de quorum immodeſtia olim Cæſar in Senatu retulit, Urbe pellantur *f*, ne paulatim patrij mores evertantur per auctam laſciviam, ut, quod uſquam corrumpi, & corrumpere queat, in Urbe viſatur, degeneretque ſtudiis externis

*b*1. Hiſt. *c*1. An. *d*14. An *e*11. An. *f*4. An.

Antiquitus uſitatum id. Proſit & ad pacem populorum. Maxime ſi fuerunt aſſueti. Caute. Procul laſcivia Et Hiſtriones. Qui

luntur, quibus luxuria ſpecie li-
*t*1. Hiſt beralitatis imponit : perdere *Alias noc et Reip.*
multi ſciunt, donare neſciunt *t*, Reſp. deficiet, ærarium confringetur, quod ſi ambitione ex-
*u*2. An. hauſerimus, per ſcelera ſupplendum erit *u*. Quinimo & juſtiſſimum fuerit inde repeti, unde
*x*1. Hiſt inopiæ cauſa eſt *x*, exemplo Galbæ, qui appellari ſingulos juſſit, decuma tantum parte liberalitatis Neronis apud quemque eorum *y* relicta, quanquam
y Ibid. illa defenſio occurreret, quod
*z*14. An muneribus ejus obniti non debebant *z*, ne dicam etiam, quod *Et privatis.*
languefcet alioquin induſtria, & intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes, & ſecuri omnes Principis ſubſidia expectabunt, ſibi ignavi, illi graves *a*. Una etiam, quod teti-
*a*2. An. gi, annonæ cura *b*, nam audire *Annonæ cura eſto.*
me memini ex ſenioribus *c*, aliàs
*b*4. Hiſt gravitate annonæ prope ad ſedi-
*c*6. An. tionem ventũ, multaque, ac plures per dies efflagitata, quam ſolitum adverſus Imp. ipſum. Paupertas enim ſummum malo- *Quâ neglectâ ſeditiones oriuntur.*

Paupertatis mala, rum *e* eſt, & plebs acri annonâ fatigatâ, & quibus domi res ambiguæ, afflicta Fides in pace, turbatis rebus alacres ſunt *f*, & per incerta tutiſſimos ſe putant, domeſticiſque malis excidium Patriæ opponere, & privata vulnera, Reip. malis operire cupiunt *g*; Imo & odio præſentium, & cupidine mutationis ſuis quoque periculis lætantur *h*. Itaque levanda apertis horreis pretia frugum *i*, ut quondam Tiberius ſævitiam annonæ incuſante plebe, ſtatuit frumento precium, quod emptor penderet, binoſque nummos addidit negociatoribus in ſingulos modios. *eiuſque effec-* *Tiberii liberalitas.*

e 14. An.
f 1. Hiſt.
g 5. Hiſt.
h 3. An.
i 2. An.

PRINCIPIS
EX TACITO.
PARS SECVNDA.
SUMMA.

PRIMA parte dictum de ipſo Principe, hâc ſecundâ agitur de ejus adminiſtris; conſiliarijs, præfectis provinciarum, tributis, cenſoribus: ubi & de ejus liberis & uxore.

Conſiliarij probi ſint & periti, rei-publicæ, quàm ſuæ amantiores; liberi, nec tamen alieni conſilij impatientes; modeſti, &, ubicumque mater eventus occaſio patitur, tardi; raro enim celeres, felices; hinc Princeps *ſcripto potius quam verbo adeatur. Dum*

conſulit poſtremus ſententiam aperiat, expenſo cujuſque conſilio: quod optimum, ſi reip. utile, Principi glorioſum, & effectu, non ita ſit arduum. Capta conſilia ſecreta ſint, ideoque Princeps re, verbo, & ore ſit ambiguus, noſcat ſuos, negotia ipſe amplexetur non leviter, ſed gnavè: Aulam componat, nec uni ſe totum permittat umquam: ſic vetus aula malum vitabit, aſſentationem, quâ vel ſocij libidinis laſciviunt, vel ſuperbi adulatores, obſequij ſpecie regunt, feſſâ quandoque fortunâ, aut æmulantium invidiâ, aut populorum odio ruituri.

Provinciis præficiantur non pretio, commendatione aut aſſentatione præſtantes, ſed virtute, & incorruptâ in Principem fide: quibus ſi fortè pares ſint, ſorte potius quam electione. Illi mulieres vel non trahant ſecum in provincias, vel non admittant in partem adminiſtrationis, modeſtè agant cum ſubditis, collegis, & Principe, omnia ad ejus

authoritatem referendo; qui ſecus fecerint per viros in provincias miſſos obſerventur, & è ſuâ provinciâ evocati plectantur, hinc non ſint continua imperia.

Præcipuum Regni fulcrum liberi; hinc Princeps *uxorem ducat nobilitate & ſanctimoniâ inſignem, & quantum fieri poteſt, ex familia fœcunda: Illi placeat, non ſerviat: ſi quos ſuſceperit liberos, proprio & majorum exemplo inſtruat.*

Pecuniæ *nervus imperij, hinc tributa, modeſtè tamen exigenda; quocirca temperandæ publicanorum cupiditates, quorum acerbitate per tot annos toleratâ vertuntur ad invidiam ab iis qui ſubditi ſunt ut pareant, non ut ſerviant.* Quo *autem iis pendendis ſubditi ſint pares, luxui & profuſis eorum ſumptibus modum ponat* Princeps *lege & exemplo: ſi tamen adultiora ſint vitia, quàm ut ſine periculo evellantur, conniveat, donec pauperes neceſſitas, divites ſatietas*

ipſa mutet in melius; modo enim reipublicæ forma ſervetur, optimum eſt regnandi inſtrumentum, ſimulatio.

Regendi onus.

QUONIAM autem arduum eſt regendi cuncta onus *a*, nec poteſt Princeps cuncta ſuâ ſcientiâ complecti *b*, tantæque molis eſſe capax *c*, aſſumat ideo alios in partem curarum *d*, certus graviſſimos ejus labores, qui orbem Terræ capeſſit, egere adminiculis *e*, Sic enim facilius ſociatis laboribus munia Reip. exequetur *f*. Et quia omne in conſilijs robur, ſine quibus, quãvis egregia, invalida ſunt *g*, ideo conſiliarios paret: ſed tales, qui ſemper teneantur, & ijsdem negocijs inſeneſcant *h*: Vigilantes, & pares negocijs *i*, recti, pervicaces *k* opum contemptores *l* (cum peſſimum humani affectus venenum ſua cuique utilitas *m*) animorum Provinciæ gnaros *n*, & tandem eos, qui veri copiam faciant, non qui ſuſpenſa, & quo ducantur inclina

eget adiumento.

Præcipue Conſiliariorum.

Sed quales ij.

liberi ſunto.

a 1. An.
b 3. An.
c 1. An.
d ibid.
e 12. An.
f 1. An.
g 3. An.
h 16. An
i 16. An
k 4. Hiſt
l 4. An.
m 1. Hi.
n in Agric.

o 11.An clinaura reſpondent *o* : & ità
compoſiti, ut ex eventu rerum
adverſa abnuant, vel proſpera
p 3.Hiſt agnoſcant. *p* Apage contra, qui *Non*
tantum aliorum ſententijs con- *contumaces.*
q 1.Hiſt tradicunt *q*; (ſed hi faciliùs ta- *& contrarij*
men perferuntur, quàm ſilen- *aliorum*
r 16.An tium omnia damnantium *r*,) *ſententiis.*
& qui conſilij, quamvis egregij,
quo non ipſi aferuntur,
ſ ibid. inimici *ſ*, & adverſus peritos
t ibid. pervicaces *t*, bonum publicum
u 14.An privatis ſimultatibus impediũt *u*,
x 2.An. proſpera ſibi vindicantes, adverſa
alijs imputantes *x*. Placent, *Sint*
qui ſpecie obſequij re- *modeſti.*
gunt, & ad omnia, quæ agenda
y Ann. ſunt, cum induſtria adſunt *y*.
Probatur vero cunctator natura, *Tardi.*
& cui cauta conſilia cum ratione,
quàm fœlicia ex caſu placent
z 1.Hiſt cent *z*.

Ergo compoſitius cuncta,
a 15.An quàm feſtinantius agantur *a*, &
licet aliquando quis ſubitus con-
b 4.Hiſt ſilio, ſed eventu *b* clarus, ad-
fuit ei, inquam ego, fortuna, *Râro*
c ibid. ubi artes deerant *c*: Nam ve- *celeres*
rum eſt, ſcelera impetu, bona *fœlices.*

conſilia morâ valeſcere *d*, & *d* 1.Hiſt
Principes providendo, con-
ſultando, cunctatione ſæpius,
quàm temeritate prodeſſe *e*: *e* 3.Hiſ.
Cum etiam honeſtas rerum
cauſas, ni judicium adhibeas,
pernicioſi exitus conſequan-
tur *f*, Qua ratione moris olim *f* 1. Hiſ.
fuit, & eſt, quamquam præ-
ſentem ſcripto adire Princi-
pem *g*, cum tempus tamquam *g* 4.An.
ad integram conſultationem ſibi
ſervet *h*. Aliud tamen in ſubitis, *h* ibid.
& ubi facto magis, quàm con-
ſulto opus *i* eſt; tunc non licet *i* 1.Hiſt.
inutili cunctatione agendi tem-
pora deliberando conſumere *k*, *k* 3.Hiſt
& dies rerum verbis terere *l*, *l* ibid.
quia non opus cunctatione, ubi
pernicioſior ſit quies, quàm
temeritas *m*, nec in eo conſilio, *m* 1.Hi.
quod non poteſt laudari, niſi
peractum *n*. Sed conſtat fortes *n* ibid.
viros etiam ſubitis terreri *o*; Et *o* 15.An
ut evenit in caſibus infelicibus,
optima videri, quorum tem-
pus effugit *p*. Princeps poſt hæc, *p* 1.Hiſ.
qui magnarum rerum conſilia
ſuſcipit, æſtimare debet, an quod

mos Principem ſcripto adeundi Ejuſq; ratio.

Non ſemper lente conſultandum Et quando.

Fortes ſubitis terrentur.

quomodo Princeps cõſilium capiat.

inchoatur Reip. utile, ipſi glorioſum, aut promptum effectu, aut certe non arduum ſit: ſimul ipſe qui ſuadet conſiderandus eſt, adjiciat ne conſilio ſuo periculum ſuum, etſi fortuna cœptis affuerit, cui ſummum de-
q 2. Hiſ cus acquiratur *q*: Atque utiliſſimus hic, ac breviſſimus bonarum, malarumque rerum delec-
r 1. Hiſ. tus tibi eſto *r*. Illud profecto ſalubriter moneo, ut in conſilio, ſi quod arduum eſt non ſibi Princeps, ſed Miniſtris permit- *Ardua effugiat*
ſ 2. An. tat *ſ*; adeoque totam rem ad
t 3. An. illos rejiciat *t*, ne ſit velut offen-
u ibid. ſionum avidus *u*.

Caveat etiam periculum di- *Non primus ſententiam dicat.*
x 4. An. cendæ primo loco ſententiæ *x*,
y ibid. ne cæteris aſſentiendi neceſſitas *y* fiat, & ne in adulationem concedant, dum obviam ire ejus
z 2. Hiſ. ſententiæ nolunt *z*; Cum etiam decorum ſit, ut ita quaſi medi-
a 16. An tationi ſuæ quædam relinquat *a*; ideoque nuſquam cunctabundus, niſi cum in conſilio, aut *Sed cunctabundus ſit.*
b 1. An. Senatu loquatur *b*. Imo tunc artem calleat, qua verba ex-

tradito more Principem adu- *mos*
p 1.Hiſ. landi *p*, niſi ſciat ipſe ſua pru- *Princi-*
dentia honeſta à deterioribus, *pibus*
q 4.An. utilia à noxijs diſcernere *q*, *adu-landi.*
r 1.An. ægre ſe, domum, pacemque *Propr. Principis prudentia.*
ſubſtentabit *r*. Primo ergo ei
ſuorum noſcenda natura, &
quibus modis temperanter ha- *Noſcat*
beatur *ſ*, ut in bonarum, mala- *ſuos.*
ſ 3. An. rumque rerum delectu cogita-
re poſſit, quid ſub alio Principe
t 1.Hiſ. ipſe vellet, aut nollet *t*. Dein-
de nihil intermiſſa rerum cura,
u 4.An. negocia pro ſolatiis accipiens *u*, *Negocia amplexetur.*
x 1.Hiſ. munia imperii obeat *x*, libel-
lumque habeat, unde poſſit *Et bre-*
callere, quot opes contineantur, *viarium*
tur, quot Civium, ſociorum- *imperii*
que in armis, quot Claſſes Pro- *habeat.*
vinciæ, tributa, vectigalia, ne-
y 1. An. ceſſitates, aut largitiones *y*; hanc
curam ſuſtinet Princeps: hæc
omiſſa funditus Rempub. tra-
z 3.An. hit *z*., & cogetur alioqui vim
Principatus reſolvere, cuncta
ad Senatum, & alios revocan-
a 1.An. do *a*: Cum tamen ea ſit condi-
tio imperandi, ut non aliter ra-
tio conſtet, quàm ſi uni Princi-

pi reddatur *b*. Malus profecto Princeps, qui levi auditu quanvis magna tranſmittit *c*, abunde ratus, ſi præſentibus fruatur, nec in longius conſultans *d*, ac ſi exiret Imperio *e*, Huic non abſimilis Claudius ille, cui non judicium, non amor, niſi indita, & juſſa *f*. Sed quantulum iſtud eſt, de quo Princeps monetur? ſi cætera reſpicias in levi habendum *g*. Nemo herculè, nemo cogitat, quantum opis Domus ejus eget, quæ velut per incerta tempeſtatum quotidie volvitur *h*. Hanc ergo ipſe præcipue coërceat, quod pleriſque haud minus arduum eſt, quàm Provinciam regere *i*: Non ex commendatione, aut precibus quemquam aſciſcat, ſed optimum quemque fideliſſimum putet *k*: Nihil in penatibus venale, aut ambitioni pervium *l*, nec patiatur, quod caput eſt, privati hominis nomen ſupra, vel juxta ſuum attolli, quod eſt formidoloſum *m*; Ubi enim Princeps ab aliquo ſuorum vincitur, ſtatim

Malus Princeps. qui negocia leviter audit.

Aulam formet. Quod eſt difficile.

Procul ambitio, & avaritia. Non patiatur ſuis circum agi.

b 1. An.
c 2. Hiſ.
d ibid.
e 3. Hiſ.
f 2. An.
g 3. An.
h ibid.
i In Agr
k in Agr
l 13. An.
m in Ag

ſe illi incautum, inteᶜtumque
n 4.An. efficit n, mox irrepit hic paula- *qua*
tim militares animos adeundo, *enim inde*
appellando, ſimul ipſe Centu- *mala?*
riones, ac Tribunos eligere,
neque Senatorio ambitu abſti-
nere; clientes ſuos honoribus,
o ibid. aut Provincijs ornando o: Jani-
toribus ſuis innoteſcere pro ma-
p 6.An. gnifico reputatur p, deprecanda
q 4.An. modeſtia ejus, ut contentus q ſit:
Cuncta malefacta impune ratur,
r 12.An tanta potentia ſubnixus r, quid,
quantumque inde ſupereſſe cre-
ſ 4.An. das, ut collega Imperij dicatur ſ,
t An. & Regni arbitrum agat t? Nero *Non ſic*
in hoc certe magnus, cui non *Nero.*
u 13.An erat infra ſervos ingenium u. At
decipitur à quibuſdam Princeps, *decipi-*
qui cum ſomnium, & inertiam *tur*
x 3.An. oſtentent, eo acriores x ſunt, *Princeps à qui-*
quorum dicta, & facta quanto *bus? &*
ſolutiora, & quandam ſui ne- *quibus*
gligentiam proferentia, tanto *artibus.*
gratius in vim ſimplicitatis ac-
y 6.An. cipiuntur y. Ji vero, ut inci-
piens potentia bonis artibus in-
z 4.An. noteſcat z, fulgorem honorum
a ibid. minime precantur a (Cum ta-

men ſpecie recuſantis concupiſcant *b*) excubias, & latores pro incolumitate Principis malunt *c* , omniaque ſerviliter pro dominatione *d*. Nam ex eo majores fiunt , & quanquam exitioſa ſuadeant, ut non ſui anxij , cum fide audiuntur *e*. Alij ſe illi ſocios libidinum faciunt *f* , & ad vitiorum imitamenta delabuntur *g*. Oh facinus ! oh ſcelus *h* ! At vindicatum , quia hi tanquam exprobrantes aſpiciuntur *i* , & poſt admiſſum ſcelus, levi gratia , dein graviori odio ſunt *k* , Aggregantur his etiam (pudet *l* dictu) ſcurræ , Hiſtriones , Aurigæ , & id genus , quibus amicitiarum dehoneſtamentis Principes gaudent *m*, ità ſæpe firmatis eorum auribus, ut aſpera ſint , quæ utilia , nec quidquam , niſi jucundum accipiant *n* ; quinimo (quis credat ?) vidimus hos præcipuos , quibus ſecreta Imperantium innitantur *o* : Adeo interdum inertia pro ſapientia *p* eſt. Sunt poſteà, quibus eſt juxtà adulatio,

A ſocijs libidinum quoque.

Nec non à nebulonibus.

Qui ſæpe prævalent melioribus.

Ab Adulatoribus.

b 1. An.
c 4. An.
d 1. Hiſt
e ibid.
f 1. An.
g 16. An.
h 11. An.
i 14. An.
k ibid.
l in Agric.
m 2. Hi.
n 3. Hiſt
o 3. An.
p in Ag.

& ſuperbia, palàm compoſitus pudor, intuſque ſumma adipiſcendi cupido *q*, fronte læti, licet

q 4. An. *r* In Agric. pectore anxii *r*, ſubdoli fingendis virtutibus *ſ*, luxuria, induſ-

ſ 4. An. tria, comitate, arrogantia, ma-

t 1. Hiſt lis boniſque artibus miſti *t*; Nimiæ voluptates, cum vacat; quoties expedit, magnæ virtutes, palàm laudares, ſecreta male audiunt, apud proximos, apud Collegas varijs illecebris potentes *u*.

u Ibid. *x* 1. Hiſt. Hi inquam apud infirmum, & credulum Principem *x*, minore metu, & majori præmio peccant *y*, & decipiunt incautum *z*, qui ſæpe juſſis alienis obnoxius, veluti pupillus, non modo Imperij ſed libertatis etiam indiget *a*, quanquam finita pueritia, & dum robur adeſt juventæ *b*. *Dum Principem credulum habent.*

y ibid. *z* Ibid. *a* 14. An *b* Ibid.

Quo accidit quoque, ut cogitationum ejus periti paulatim huc flectant, ut Principem ad vitam procul Urbe amœnis locis degendam impellant, negocia, populi accurſus, & multitudinem affluentium increpantes, laudibus vero quie- *cogitationum Principis quod faciant periti?*

tem, & ſolitudinem extollentes [c]; Multa quippe provident *c 4. An.*
ſua in manu, aditus, negociorumque magna ex parte ſe arbitros fore, ſecretoque loci Principem mollitum munia Imperii faciliùs tramiſſurum: Et minui [d] ſibi invidiam adempta *d*
ſalutantium turba, ſublatiſque inanibus, vera potentia augeri [e]: Hæc ſapientia, hæc Phi- *e Ibid.*
loſophorum præcepta ſunt, quibus poſtea intrà breve ſpatium Regiæ amicitiæ tot millia ſex-

Divites efficiuntur.

tertium parant [f]. Nam Prin- *f 14. An.*
ceps hiantes talium cupiditates amicorum explet [g], & privatim *g 10. Hi.*
largitur, quod avidius de Rep. ſumat [h], dum pauperes pari do- *h 1. Hiſt*
lore aliena commoda, & ſuas

cum Reipub. damno.

injurias intuentur [i]: Nimirum *i 1. Hi.*
ipſi vultures, ſpes votaque ſua non prius ad Deum, quàm ad Principis aures conferunt; Pe- *k 4. An.*
tunt, & ubi prima provenerint, iterum petunt [l], donec uterque *l 1. An*

Aviditas eorum.

menſuram impleat, & Princeps quantum tribuere illis poteſt, & illi quantum ab eo ac-

m 14 An. cipere *m*, ut nihil felicitati eorum deſit, niſi ejus moderatio *n*. Pudet referre quoſdam, qui ne dum præcipuos caritate Principis fortuna antecellunt *o*, ſed & adeo ditiores ſpectantur, ut quis eorum intra ſe ipſum aliquando volvat: Egone provinciali, & humili loco ortus Proceribus Civitatis annumeror? Ubi eſt animus ille modicis contentus? inter nobiles, & longa decora præferentes novitas mea enituit? tales hortos inſtruit; & per hæc ſuburbana incedit, & tantis agrorum ſpaciis, tàm lato fænore exuberat *p*? Atque ità ex pauperibus divites, ex contentis metuendi, perniciem aliis, ac poſtremo ſibi multoties invenientes *q*, fato potentiæ raro ſempiternæ *r*. Et vidi ego multos ex Aula ætate provecta ſpeciem magis in amicitia Principis, quàm vim tenuiſſe, idque, & Mœcenati acciderat *ſ*; An ſatias capiat, aut eum, cum omnia tribuerit, aut illos, cum jam nihil reliquum

n ibid.

o ibid.

p Ibid.

q 1. An.

r 4. An.

ſ ibid.

Sed corruunt. Ità fato potentiæ.

Ratione ſatietatis.

ſit, quod cupiant *t*. Accedit, ut obiter dicam, quod nemo omiſſis præcipitibus tuta, & ſalutaria capeſſit *u*. Sed nimia potentia vecors *x*, & felicitate corruptus *y*, ſæpe valentiores irritat *z*, & omnia facit, ut pari exitio vigeat, & cadat *a*; Eoque magis, quod cum inſita ſit mortalibus natura recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ à nullis alijs exigere, quàm quos in æquo videre *b*, reperies quibus invidia in occulto, adulatio in aperto *c* eſt, qui ſecretis criminationibus te infament, & quo incautior decipiare, palàm laudent *d*, mox auribus Principis adrepentes *e* (ut obtrectatio, & livor pronis auribus accipiuntur *f*) inſimulent de eo ſiniſtros ſermones, vel id genus ex moribus ejus quædam deligentes, ut quia vera, etiam dicta credantur *g*, donec te tandem pervertant *h*, & tunc ſicut proſperis tuis rebus certarent ad obſequium, fortunam ad-

t Ibid.
u 14. An
x 4. An.
y 1. Hiſt
z 2. An.
a 4. An.
b Hiſt.
c 4. Hi.
d 1. Hiſt
e 1. An.
f 1. Hiſt
g 1. An.
h 15. An.

Invidia æmulantium

Quomodo obſit.

i 2.Hiſt verſam omnes detrectabunt i: ſtatim relictum tui limen nemo
k 13.An adire, nemo ſolari k: Itaque, qui ſapis, cogita intuta, fere
l 12.An. ſemper eſſe adverſa l, & nihil tàm inſtabile, & fluxum, quàm
m 13.An potentia non ſuavi nixa m.

Provinciis Gubernatores præficiantur.

n 2.An. Præterea, ut ad incepta redeam n, Provinciis, & adminiſtrationibus alios Princeps
o in Agric. præficiat o, ſed non peccaturos potiùs, quàm damnandos cum
p ibid. peccarint p; diſpiciat merita, tardeque concedat quod datum
q 13.An. adimeretur q. Apud Majores quidem Virtutis id pretium fuit, ut cunctis Civium, ſi bonis artibus fiderent, licitum pe-
r 11.An tere Magiſtratus, & Officia r. Ac nec ætas quïdem diſtinguebatur, quia prima juventa (quæ cupiditates adoleſcentiæ jam effugerit
ſ 11.An. ſ) Conſulatum, &
t 11.An. Dictaturam iniret t, non ambi-
u 1.An. tu, aut vi u; cum nemo Imperium flagitio quæſitum bonis
x 1.Hiſt artibus exerceat x. Adeo ut honoris æmulatio pro neceſſitate
y In Agr Virtutis eſſet y. At contra Ca-

Quales, qui meritis, & virtutib. præſtant. Iuvenes etiam.

pitonis obſequium dominanti-
bus probatur [z], quantoque quis z 3. An.
illo promptior, honoribus, &
opibus extollitur [a]: Imo, quod a 1. An.
eſt turpius, ſpretis melioribus
ſæpe deterrimi valent [b], Cum b 1. Hi.
fato quodam, & ſorte naſcendi,
Principum inclinatio in hos,
offenſio in illos ſit [c], & qui- c 1. Hiſt
buſdam etiam pro virtutibus
fortuna [d], ut nihil ſtrenuus ab d 2. Hiſt
ignavo, ſapiens ab imprudenti,
conſilia à caſu differant [e]. Ve- e Ann.
rùm non eſt noſtrum, fateor,
æſtimare, quem ſupra cæteros
Princeps extollat [f]; Ei nam- f 6. An.
que ſummum rerum judicium
Deus dedit [g]; Ideo abditos g Ibid.
Principis ſenſus, etſi quid oc-
cultius parat, exquirere illici-
tum, anceps, nec ideo aſſe-
quare [h]. Et quidem videas h 6. An.
etiam ſæpe multos in Provinciis
contrà quàm ſpes, aut metus
de illis fuerit, egiſſe [i]; Exci- i 3. An.
tantur enim quidam ad melio-
ra magnitudine rerum, hebeſ- k ibid.
cunt alij [k]. Vitabit autem offen-
ſiones [l] Princeps, ſi quoſdam l 2. An.

Sorte naſcendi gratioſi quidam apud Princip. alij odioſi, & fortuna prævalet.

abditi ſenſus Principis.

Multi in melius evadunt rerum magnitudine.

Magiſtratus ſortiri nominatim, *Sorte*
m 4. An. quàm eligi malit *m*. Ut enim *potius*
fatear, ſorte, & urna mores *quidam*
n ibid. non diſcerni *n*, tamen ambitioni, *Magiſtratus*
aut inimicitiis per ſortem locus *magis*
o ibid. non erit *o*. Sed eum, cui Pro- *quam*
vincia obvenit, an uxor comite- *electione*
p 3. An. tur *p*? ſane dubitatur; nec fruſ- *fiant.*
tra olim placitum, ne fæminæ *Mulieres an*
in ſocios, aut gentes externas *Gubernatores*
traherentur; non enim imbe- *comitentur.*
cillis tantum, & impar laboribus hic ſexus, ſed ſi licentia adſit, ſævus, ambitioſus, poteſta-
q ibid. tis avidus *q*. His ſtatim adhæret *non*
deterrimus quiſque, ab his ne- *videtur.*
r ibid. gocia ſuſcipi, tranſigique *r* videmus, cum tamen plerumque ſit muliebre conſilium dete-
ſ 15. A. rius *ſ*. At cum viri in eo culpa ſit, ſi fæmina modum excedat, ob unius, aut alterius imbecillem animum male eriperentur maritis conſortia uxorum *t*,
t 3. An. quarum reperiuntur nonnullæ,
quæ à virilibus curis vitia fæmi- *Sed contra*
u 4. An. narum exuerunt *u*, ſimul ſexum *melius.*
natura invalidum deſeri non debet, & exponi ſuo luxui, & cu-

pidinibus alienis *x*; Cum fæmina amiſſa pudicitia, nec alia flagitia abnuat *y*, & vix præſenti cuſtodia manent illæſa conjugia. Quid forte ſi per annos in modum diſſidij obliterentur *z*? ergo prior ſententia eluſa *a*. Parem vero dignum eſt vim habendam rerum à Præſidibus judicatarum, ac ſi ipſe Princeps ſtatuiſſet *b*. Verum & ab illis omnia ea modeſtia, tractanda ſunt, ut ne dum rariſſima moderatione malint videri in Provincia inveniſſe bonos, quàm feciſſe *d*, ſed etiam nunquam in ſuam famam geſtis exultent, ad auctorem, & Principem, fortunam, & omnia referendo *e*; Sic etiam extra invidiam, nec extra gloriam erunt *f*: Procul ab æmulatione adverſus Collegas: Procul à contentione adverſus Procuratores, & vincere inglorium, & atteri ſordidum arbitrentur *g*. Suaſerim autem ego, ut ſicut metu repetundarum infracta avaritia Præſidum eſt *h*, ità trepidare de æſtimatione eorum, & æqualius,

Gubernatores vice principis modeſte agant.

Contentiones vitent.

Sindicatur, ut dicitur, Metus.

x 3. An.
y 4 An.
z 3. An.
a ibid.
b 11. An.
c 3. An.
d In Agr
e ibid.
f ibid.
g ibid.
h 15. An.

æqualius, & conſtantius rege- *Viſores*
i ibid. rent *i*, ſi mitterentur, qui Pro- *Provin*
vincias viſerent, & quid de cu- *ciarum*
juſque obſequio videretur, re- *mittan-*
k ibid. ferrent, ut olim fiebat. *tur.*

Illud etiam ſubnecto, quod *An*
quanquam moris olim fuit Ti- *conti-*
berii continuare Imperia, ac ple- *nua im-*
roſque uſque ad finem vitæ in *peria?*
l 1. An. eiſdem juriſdictionibus habere *l*;
tamen Dictaturæ ad tempus ſu-
m ibid. mebantur *m*, & recte. Super-
biunt homines annua deſigna- *Imo non*
n 2. An. tione, quid ſi honorem longius
agitarent *n*? Verum nec quæ huc-
uſque dicta, ſatis, niſi alijs mo-
o 1. An. numentis inſiſtat Princeps *o*: Et *Filii*
quia non Legiones, non Claſſes *Regni*
æque firma Imperij monumen- *fulcrum*
p 4. An. ta, quàm numerus liberorum *p*,
ſit propterea cælibis vitæ into- *Princi-*
q 12. An lerans *q*, non tamen conjugis *pes con-*
r ibid. Imperio obnoxius *r*; Quod enim *iugem*
ſubſidium in eo, qui à fæmina *ducant.*
ſ 13. An regatur *ſ*? Ita ſubſidia domina- *Non ta-*
t 1. An. tionis firmabit *t*, exemplo Au- *men ei*
guſti, qui Marcellum ſororis *ſerviât.*
filium, dein Poſthumum A-
grippam, mox nepotes ſuos,

poſtremo Tiberium Neronem privignum in proximo ſibi faſtigio collocavit *u*. Aliquantum aliorum ſpes cohibentur ſi ſucceſſor non incerto *x* ſit. Inde plena Cæſarum domus cupitis Seiano moram afferebat *y*. Præter quam quod nil honeſtius levam en cenſoriæ mentis, quàm aſſumere conjugem proſperis, dubiiſque ſociam *z*: Eſtque Matrimonium ad majora nitenti decus, atque robur *a*.

u 1. Hiſt. *x* 4. An. *y* 3. An. *z* 12. An. *a* In Agric.

Ità fraudes extirpantur.

Eius bona.

Quando autem maritandum Principi eſt, deligi oportet fæminam nobilitate, puerperiis, & ſanctimonia inſignem *b*: At nec nova in fratrum filias conjugia *c*, ne claritudinem generis aliam in domum inferant *d*. Nam audivi à parentibus, & vidi ego arripi conjuges ad libita Principum *e*, qui ſolent, prout conducat, mores accommodare *f*: Sed non tantum Princeps in Domo ſucceſſorem quærat, verum, & in Rep. *g* ſcilicet bonum *h*, ne videatur alioqui comparatione deterrima ſibi

b 12. An. *c* ibid. *d* ibid. *e* ibid. *f* ibid. *g* 1. Hiſt. *h* 1 Ib.

Ducatur Vxor ex nobili, & fæcunda familia.

Si opus ſit ducatur etiam ſanguine coniuncta; ſed cum Sum. Pontif. diſpen-

i 1. An. gloriam quærere *i* voluiſſe. Imbuat proinde futurum generis *k* 3. An. humani rectorem bonis recordationibus *l*, firmetque animum *l* 4. An. *m* 16. An ejus conſtantibus exemplis *m*, ut præcipue diſcat è paternis *n* 3. An. conſilijs *n* ſe ità natum eſſe, ut bona, malàque ſua ad Rempub. *o* 4. An. pertineant *o*: Ita enim cum ſolus arbiter rerum fuerit jure, ac *p* 2. An. nomine Regio *p*. Magiſtros exuet, ſatis amplis Doctoribus *q* 14. A. inſtructus majoribus ſuis *q*.

ſatione. Principes ſolent mores utilitati accõmodare. Bonum ſucceſſorem Princeps paret. Et quomodo eum inſtruat.

Nervus etiam Imperij, civiliſque belli, ut Mucianus dicti- *r* 1. Hiſt tabat, pecuniæ conquiſitio *r*. Siquidem nec quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis *ſ* 4 Hiſt haberi queunt *ſ*. Hi fructus, *t* 13. An. quibus Reſp. ſuſtinetur *t*: Itaque diſſolutionem imperij doce, *u* ibid. ſi diminuantur *u*. Non tamen Principis cupido auri immenſa ſit, obtentum ergo habeat, quaſi ſubſidium Regno pare- *x* 12 An tur *x*, ne ſubditi pacem exuant: ejus magis avaritia, quàm ob- *y* 4. An. ſequij impatientia *y*, ubi vide-

Vt recte gubernet. Tributa neceſſaria. Quomodo imponantur. Ne ſubditi deſciſcant.

rint Provincias novis oneribus ſubinde turbari z, vel gravia, & intolerabilia, neceſſitate velut armorum excuſata, etiam in pace manere a. Nam audivi multos Principes pecuniis acerbè conquirendis plus invidiæ, quàm virium addidiſſe b. Temperandæ quoque publicanorum cupiditates c, ut ſine crudelitate exactio fiat d, ne per tot annos ſine querela tolerata novis acerbitatibus ad invidiam vertant e. Quidam ſunt populi, qui tributa, & injuncta Imperij impigrè obeunt munia, ſi vis, & injuria abſint, domiti, ut pareant, non ut ſerviant f. Suaſio propterea adhibeatur, quæ ab eo, qui jubere poteſt, vim neceſſitatis affert g. Quæ enim rabies, boves ipſos, mox agros, poſtremo corpora ſervitio, & pænæ tradit h? Hinc ira, & queſtus, & poſtquam non ſubvenitur i, nihilque profici patientia viderint, niſi ut graviora tanquam ex facili tolerantibus imponantur k, remedium ex bel-

Modeſte exigenda.

z Ibid.
a 2. Hiſt
b 4. Hiſt
c 13. An
d 4. An.
e 13. An.
f In Agr
g 14. An
h 4. An.
i Ibid.
k In Agr

l 4. An. Io *l*, quo miſeram pacem bene *Et eorũ*
m 3. An. mutare poſſint *m*. Ideo ſpecta- *cura*
tiſſimo cuique hæ res manden- *bonis*
n 4. An. tur *n*, & ſi fallent rerum attro- *detur.*
o 13. An. cium miniſtri puniantur *o*. Quia *Cenſura*
vero amiſſi ſemel mores fundi- *uſui.*
tus Remp. trahunt, ideo ſi quid
in illis labat, non deſit corri-
p 2. An. gendi auctor *p*; modum Prin-
ceps poſcat argento, ſuppellec-
q 3. An. tili, familiæ *q*, ne luxus menſæ
r Ibid. profuſis ſumptibus exerceatur *r*,
ne promiſcuis viris, & fæmi-
nis veſtes, neve vaſa auro ſoli- *Cui*
ſ Ibid. da adminiſtrandis cibis fiant *ſ*. *Prin-*
Præcipuus autem adſtricti mo- *ceps*
ris auctor ipſe ſit, antiquo cultu, *praeat.*
t Ibid. victuque *t*. Nam obſequium in
Principem, & æmulandi amor
validior eſt, quàm pœna ex le-
u ibid. gibus, & metus *u*. Sed cum me-
diocribus remedijs his malis re-
ſiſti non poteſt, neſcio an ſuaſu-
rus ſim, omittere potius præva- *Vitiis*
lida, & adulta vitia, quàm hoc *adultis*
aſſequi, ut palàm fieret, quibus *conni-*
x ibid. flagitijs impar Princeps ſit *x*, at- *vendum*
que ità expectare, donec pau- *ali-*
peres neceſſitas, divites ſatietas *quando.*

Cur? in melius mutet *y*; Inde eorum *y* ibid. enim eſt attrectare, quod non obtineretur *z*, quia non Ædilis, *z* ibid. aut Prætoris, ſeu Conſulis Princeps partes ſuſtinet, maius, & *Ea enim non exoleſcant.* excelſius ab eo poſtulatur *a*. Cum *a* Ibid. etiam pars ſapientiæ ſit quoquomodo acta, ſi mutari non poſ- *Viciſsitudo rerum.* ſunt, comprobare *b*, & im- *b* 1. Hiſt minentem neceſſitatem ſponte prævenire *c*. Ut ſileam *c* 1. An. haud expedire gravioribus remedijs reſtinguere, quod paulatim exoleſcit *d*. Ineſt cunctis *d* 3. An *Nimius rigor obeſt. vitia æterna.* in rebus quidam velut orbis, & ut temporum vices, ità morum vertuntur *e*. Tandem nocuit ſemper antiquus rigor, & *e* Ibid. nimia ſeveritas, cui jam pares non ſumus *f*; Nam vitia erunt, *f* 1. Hiſt donec homines, ſed neque hæc continua, & interventu meliorum penſantur *g*. *g* 4. Hi.

Eadem Reip. forma ſervetur. Cæterum & vim Principatus ſibi firmat Princeps, ſi imaginem antiquitatis Senatui præbeat *h*, tanquam veteri Rep. *i* *h* 3. An. eadem Magiſtratus vocabula *i* 1. An.

Dum modo Ius imperii pravaleat. retinendo *k*, & munia Senatus ad ſe trahendo *l*. Quid refert? cum Reſpub. & Senatus vana nomina ſint *m*. Jus ergo Imperij valeat, inania tranſmittantur *n*. Quo intuitu Auguſtus tribunitiam poteſtatem ſummi faſtigij vocabulum reperiit, ne Regis, aut Dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliqua, cætera Imperia præemineret *o*. Itaque ſua Conſulibus, ſua Prætoribus ſpecies: minorum quoque Magiſtratuum exercita poteſtas *p*, ne populus ademptum ſibi jus inde queratur *q*. Demum & inter inſtrumenta Regni habeat *r* Princeps ſimulationem, factus natura, & conſuetudine velare odium fallacibus blanditijs *ſ*: *Simulatio bona dominanti.* Tiberius nullam ex virtutibus ſuis, ut rebatur, magis quàm illam diligebat *t*; Unde jam jam eum moriturum, & vires, & corpus, non tamen ſimulatio deſerebat *u*. Non occultus

k ibid. *l* ibid. *m* 1. Hiſt. *o* 3. An. *p* 4. An. *q* 1. An. *r* 3. An. *ſ* 14. An. *t* 4. An. *u* 6. An.

odij *x* , & ſimulationum neſcius *y* ægre regnat, ut multorum eventis docemur *z*: Itaque eſto mihi Princeps quoque eruditus utilia honeſtis miſcere *a*.

x 4. An.
y ibid.
z Ibid.
a In Agric.

PRIN-

PRINCIPIS

EX TACITO

PARS TERTIA.

SUMMA.

HAC tertia parte dicitur de armis, militibus, eorumque duce.

Apud omnes non una ratio : hinc vis conſilio adiungenda : proinde arma Regno neceſſaria, ſed ea caute tractanda : initis primo fœderibus, ſecundo odiis inter hoſtes ſeminatis, tertio militibus : Ii legantur, non cogantur ; armis paſſim aſ-

ſueſcant, frequenter exerceantur, ſive ad pacis decus, ſive ad belli ſubſidium; virtute & modeſtiâ potius quam procacitate & petulantiâ æſtimentur, alioquin hoſpitibus magis quam hoſtibus metuendi. Armis utantur levibus & expeditis, ad offenſionem magis quàm ad defenſionem. Cæterum in peditibus plus roboris; Equites enim ut cito victoriam parant, ita cito cedunt.

Dux iis deligatur fide fortitudine & belli peritia clarus, ſtipendia plura Emeritus, utriuſque fortunæ ſciens, nec inſolens in ſecundis, nec fractus in adverſis: ſed præſertim famæ ingentis, illi authoritatem, ſuis fiduciam, hoſtibus terrorem allaturæ, nullis certis mandatis inſtruatur, quò ex re, loco, & oc-

caſione queat conſulere, quam dum aucupatur, moras nectat, odia ſerat inter milites & adverſos Duces: Eos, ſi poteſt, emercetur; dolus enim vi tutior. Si quando pugnandum, ita inſtruat aciem ut ſuis proſit opportunitas loci: ſpes in virtute, ſalus in victoria reponatur: deinde breviter ſed vehementer peroret ad ſpem, audaciam & iram concitandam, numquam ad timorem, dum pugnatur; conſilio, manu, voce ubique adſit: occurſet & paventibus, cedentes erigat, inſtantes hortetur, ſtrenuis laudem, ſolatium invalidis, omnibus exemplum præbeat. Si vicit, arceat milites à prædâ, donec plane victoriam firmarint hoſtes, ſi qui pacem deprecentur, accipiat in deditionem.

Princeps ipſe prælio interſit,

ſi ſalus regni verſatur in diſcrimine, ibique aut vincat, aut vitam cum ſceptro dimittat. Secus, non det in caſum ſe remque publicam: imo, ſi eius imperium nondum ſatis firmatum ſit, non diſcedat ab urbe principe: ſemper tamen ſe fingat ad exercitus profecturum, ſicque varia negotia cauſatus, prudentes, vulgus & provincias fallat.

Arma neceſſaria Regno. Sed cum conſilio tractanda.

SED quanquam in ſumma fortuna plus auſpicijs, & conſilijs, quàm telis, & manibus geri ſolet a, tamen cum inter potentes, & validos falsò quieſcas b, ſuaque retinere privatæ domus, de alienis certare Regiam laudem c eſſe creditur, non ignavia Imperia contineri poſſunt d, ſed virorum, armorumque faciendum certamen e. Arma tamen conſilio temperanda f, nam cau-

a 13. An.
b 15. An
c ibid.
d ibid.
e ibid.
f 1. An.

ſis, quàm acrioribus conſiliis *Conſiliis & aſtu priuſquam armis certandum.*
g 2. An. potentia tutius habetur g. Nihil primo æque Principem anxium habeat, quam ne compoſita turbentur h, ob idque deſtinata hæc retineat, conſiliis, & aſtu res externas moliri, arma procul habere i, Cum adverſus validas gentes nihil utilius ſit, quàm quod in commune non conſultant k: Ideo omne bellum externum cum lætitia habendum l: ſemina etiam odiorum jacienda m, ut maneat, duretque gentibus, ſi non amor noſtri, at certe odium ſui n. Ità ſæpe Principes Romani Armeniam ſpecie largitionis, turbandis Barbarorum animis, præbuere o. Inde & Druſus non leve decus quæſivit, illiciens Germanos ad diſcordiam p.

Et odia ſerere politice poteſt contra iniuſte bellantes.

h ibid. i ibid. k in Agr. l 12. An. m ibid. n De morib. Germ. o 12. A. p

Societatem quoque alterius induat q (dum tamen ejus ruina non ſit ſimul illum tractura r) rarus quippe ad propulſandum commune periculum conſenſus ſ, ne alioqui ſinguli dum pugnant,

Federa ineunda. & eum quibus.

q r 12. An ſ in Ag.

univerſi vincantur *t*, & omni- *t* ibid.
bus pereat, quod ſinguli a-
mittant *u*. Quod ſi magnitudi- *u* ibid.
nem ſuam tueri non poteſt *x*
Princeps, unam ponat in armis *x* De morib. Germ.
ſalutem *y*; Ea propter adſint
Diſponantur Arma. illi viri, arma, equi *z*. Juventus *y* 1. An.
armis ſueta, & more militiæ *z* 1. Hiſt
exercita *a*, in caſum præliorum *a* ibid.
ſepoſita, & velut arma, & tela
bello reſervetur *b*: in pace de- *b* De morib. Germ.
cus, in bello præſidium *c*, ut, ſi
Multitudo diſcreta melius continetur. auxilium res poſcat, non procul
accantur *d*. Non multi, ne pro- *c* ibid.
ni ad res novas *e*, ubi vires ſuas *d* 4. An.
circumſpexerint *f*, contra Jus *e* 1. Hiſt
obſequij, vim meditentur *g*. Sa- *f* Ibid.
ne longis ſpaciis diſcreti exerci- *g* 1. An.
tus, quod ſaluberrimum eſt ad
continendam militarem vim,
nec vitiis, nec viribus miſcen-
tur *h*. Et quanquam Seianus præ- *h* 1. Hiſt.
tendebat laſcivire Militem di-
ductum *i*, credens numero, & *i* 4. An.
robore, & viſu inter ſe fidu-
ciam ipſis, in cæteris metum *k*, *k* ibid.
tamen certum eſt, contractos
Milites quærere arma, novaſ-

l 1. Hiſ. que diſcordias *l*; Unde Dux ille
cohortes turbidas, ac ſi unà forent, prævalidas diſperſit, partemque Batavorum ire in ſubſi- *Dehoneſtamenta militiæ.*
m 1. Hi. dium juſſit *m*.

Sed in multis legionibus pau-
n 14. An ci ſunt, qui prælia profligant *n*,
o 1. Hiſ. Nam Principes eos emunt, non legunt *o*; Et ut olim virtutis, modeſtiæque, nunc procacita-
p 3. Hiſ tis, & petulantiæ certamen eſt *p*; Quippe voluntarius Miles deeſt, etſi ſuppeditet, non eadem virtute, ac modeſtia agit, quia *Eius* plerumque inopes, ac vagi ſpon- *fructus.*
q 4. An. te militiam ſumunt *q*. Et quibus ob egeſtatem, & flagitia maxi-
r 3. An. ma peccandi neceſſitudo eſt *r*. Nam militia ipſa gravis, infruc-
ſ 1. An. tuoſa, denis in diem aſſibus vita, & corpus eſtimatur *ſ*: propterea omnia indiſpoſita temulenta pervigilijs, ac baccanalibus, quàm diſciplinæ, & caſtris propriora
t 1. Hi. ſunt *t*: Imo ubi opus, Milites nec in procinctu, nec in Caſtris habentur, ſed per omnia Municipia deſides hoſpitibus tantum

metuendi *u*, juſſa Ducum inter- *u* 3.Hiſt
pretari magis, quam exequi
malunt *x*, & effundunt ſe in *x* 2.Hiſ
epulas, nocturnoſque cœtus *y*, *y* 4.Hiſt
cum tamen fortiſſimus in ipſo
diſcrimine exercitus, qui ante
diſcrimen modeſtiſſimus *z*. Qua *z* 1.Hiſt
propter exerceantur legiones e-
tiam ſine bello, cura, proviſa
perinde agatur, ac ſi hoſtis in-
Veterum diſciplina ſervetur. gruat *a*. Veteris moris admo- *a* 12.An
neantur, ne quis agmine dece-
dat, ne pugnam, niſi juſſus,
ineat; ſtationes vigiliæ, diurna,
nocturnaque munia in armis agi-
tentur *b*. Ferunt Militem, quia *b* 13.An
vallum non accinctus, atque
alium, quia pugione tantum ac-
cinctus foderet Corbulonis Du-
cis juſſu morte punitos *c*, ut in- *c* ibid.
tentum, & magnis delictis in-
exorabilem ſcias, cui tantum aſ-
peritatis etiam adverſus levia
Et cum rigore. credebatur *d*. Nec enim in ejus *d* ibid.
exercitu, ut in aliis primum,
aut alterum delictum venia pro-
ſequebatur, ſed pæna, idque
uſu ſalubre, & miſericordiâ

e Ibid. melius apparuit e.

Legimus etiam vallum, foſſas, materias, lignorum aggeſtus adverſus otium excogitata, ne ſeditio incederet, ſi intermitterentur ſolita munia f. *Centurionatus fiat.*
f 1. An.

Inſuper Centurionatum agi, ubi citatus à Duce nomen, ordinem, Patriam, numerum ſtipendiorum, quæ ſtrenue in bellis feciſſet, edebat. Si induſtria, & innocentia approbaretur, retinebat ordines, ubi vero avaritia, aut crudelitas conſenſu objectaretur, ſolvebatur militia g. *Arma qualia ſint.*
g Ibid.

Arma levia ſint, & expedita, nec enim immenſa ſcuta, enormes haſtæ perinde habentur, quàm gladii, & hærentia corpori tegmina h damno, ut in Sacroviri bello, quibus erat continuum ferri tegimen (Crupellarios vocabant) inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles i. Quos miles Romanus acceptis ſecuribus, & dolabris, ut ſi murum perrum-
h 2. An.
i 3. An.

peret, cædebat, vel rudibus, aut furcis inertem molem proſternebat, jacenteſque nullo ad reſurgendum nixu, quaſi exanimes linquebat *i*.

In univerſum autem æſtimatur, plus penes pedites eſſe roboris *l*: Nam equeſtrium virium proprium eſſe dicitur, cito parere, cito cedere victoriam *m*. Unde de Cattis loquens Scriptor, omne inquit in pedite robur *n*.

Equitum vis, an peditum potior?

Una dein ſit cura Ducis, & (quod rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum) plus in eo, quàm in exercitu reponas *o*. Dux egregius potius, quàm pecunioſus, & gratia ſubnixus per ambitum deligatur *p*. Qui ſcilicet plures per Provincias ſtipendia expleverit *q*, qui norit quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo, trahendoque bello modus *r*, qui ſecundarum, ambiguarumque rerum ſciens, eòque interritus *ſ*. Nec enim

k ibid.
l De morib. Germ.
m ibid.
n ibid.
o ibid.
p 15. An.
q 3. An.
r ibid.
ſ 1. An.

Princeps crebris epiſtolis illum
t 3. Hi. monere poteſt *t*, quia ex diſtan-
tibus Terrarum ſpatiis conſilia *Nullis*
u ibid. poſt res afferrentur *u*. Ideoque *certis*
eſt, quod Dux mitti debet nul- *man-*
lis certis mandatis, ex re con- *datis*
ſulturus *x*; Unde per litteras *mittā-*
x 1. An. flagitante Othone, ut matura- *tur.*
retur cùm de prælio Duces du-
bitarent, res malè ceſſit *y*: Si-
y 2. Hiſt cut & quando certam ad diem
redire claſſem Nero juſſerat,
non exceptis Maris caſibus *z*.
z 15. An Namque clades rei navalis ac- *Eius*
cepta *a* fuit, cum nihil tàm ca- *bona*
a ibid. pax fortuitorum, quàm mare *b*. *arma*
b 14. An Itaque boni Ducis inſtandum fa- *quan-*
mæ *c*, cùm primis eventibus *tum*
c In Agr metus, aut fiducia gignatur *d*, *valet.*
d 12. An & pro ut prima ceſſerint, ſunt
univerſa *e*.
e in. A. Audivimus autem magnos
Duces plura conſilio, quàm vi *Et con-*
perfeciſſe *f*, ſatis cito incipi vic- *ſilium*
f 2. An. toriam rati, ubi proviſum ne *vi po-*
vincantur *g*. Bellum habere, *tius.*
g 2. Hi. quàm gerere malunt *h*, unde
h 15. An nectunt moras, mutant locos,

miſſis occulte corruptoribus, exuendam ad Fidem hoſtes emercantur *i*, pacem, & concordiam ſpecioſis nominibus jactant *k*. Ità Sextus Pompeius imagine pacis oppreſſus *l*, ſic Sugambri in deditionem accepti, ſic Suevi, Rexque Maroboduus pace obſtrictus *m*. Quis enim mihi, veri Militis eſſe non fraude, neque occultis, ſed palàm, & armatum Hoſtes ulciſci *n*? Imo loco ſapientiæ eſt vim differre *o*, potiorem dolum arbitrari *p*; dum ne rem in diſcrimen *q* ponas. Pravi ſunt, qui contemnendis, quàm cavendis hoſtibus meliores *r*. Ejuſdem eſt alienam ſtultitiam opperiri, & quando hoſtis imprudentia ruat *ſ*, vel ad intimas diſſenſiones prolabatur *t*: Nihil quippe in bello præſtare fortuna maius poteſt, quàm hoſtium diſcordiam *u*. Ideo Germanicus quanquam bellum in æſtatem proximam ſumma ope parabat, initio tamen veris, & ſubito in Chattos excurſu præ-

Stratagemmata probantur.

Hoſtium diſcordia prodeſt.

i 12. An.
k 1. Hiſ.
l 1. An.
m 2. An.
n ibid.
o
p 12. An
q 2. Hiſt
r 4 Hiſ.
ſ 2. An.
t 5. Hiſ.
u De morib. Germ.

cepit, nam ſpes inceſſerat diffidere hoſtem inter Segeſtem, &
x 1. An. Arminium x: Propterea quod dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſidium parat accitus in
y 6. An. partes adverſus omnes valeſcit y: Accitus, inquam, quia aliàs bellum externum concordiam *Ante bellum*
z 2. Hiſt parat z. Sed jam bellum in- *Dux*
a 1. An. gruit a; quid tum? Ipſe Dux *qui ſe* ante agmen, quo cæteris par a- *gerat.* nimus ſimili periculo ſit, erigat
b In Agric. aciem b, & incedens itineri, & prælio c, opportunitates locorum
c 1. An. d in Ag. pugnæ legat d, ut ſit ſuis neceſ- *Pugna* ſitas in loco, ſpes in virtute, ſa- *ineunda*
e 2. An. lus ex victoria e, Peditum auxi- *ratio.* lia, & agmen exteri ducant f,
f 1. An. g in Ag. equites cornibus effundantur g, propriæ legiones ſtent pro vallo, ut ſit ingens victoriæ decus citrà domeſticum ſanguinem bellan-
h Ibid. ti h. Atque ubi primùm ſimul
i in Ag. inſtructas viderit acies i, quanquam virtuti ſuorum confidat exhortationes, & preces miſ- *Oratio*
k 14. An cendo k, ſilentium manu poſ- *ad milites.*
l 1. An. cat l, & in hunc fere modum lo-

quatur *m*. Jam quibus ſalus, *m* in Ag
quàm quibus gloria cariſſima
eſt *n*, commilitones, tandem ſu- *n* ibid.
mite animum *o*. Mihi jam pri-
dem decretum eſt, neque exer- *o* ibid.
citus, neque Ducis terga tuta
eſſe *p*, fugientibus ſævitia hoſ- *p* Ibid.
tium ſupereſt, victorib. decus,
& honor *q*, proinde, & honeſta *q* 2. An.
mors vita potior *r*, & incolumi- *r* in Agr
tas, & decus eodem loco ſita
ſunt *ſ*: ſi tædio viarum, & la- *ſ* ibid.
boris finem cupitis *t*, imponite *t* 1. An.
bello magnum diem *u*; ne ter- *u* in Agr
reat vanus hoſtium aſpectus *x*, *x* ibid.
ſed inſiſtite cædibus *y*, denſate *y* 2. An.
ictus, & ora mucronibus quæri-
te *z*, Memineritis omnia prona *z* ibid.
victoribus, atque eadem victis
adverſa *a*: Unde virtutem armis *a* in Ag
affirmate *b*. Eſt enim vobis robur *b* 4. Hi.
peditum, equitumque *c*. Pan- *c* Ib.
dite ergo ſinum, & venienti
fortunæ occurrite *d*, quæ fortio-
ribus adeſt *e*, aliaque domi ca- *d* ibid. *e* ibid.
ra, quæ in caſtris honeſta me-
moret, reticeat de adverſis *f*. *f* 1. An.
Mox idem Dux nullum conſtan-

g 3.Hiſt tis Imperatoris, aut fortiſſimi militis officium omittat g, occurſet paventibus, retineat cadentes Ubi plurimus labor, unde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce inſignis hoſti, conſpicuus
h 3.Hiſt ſuis h. Et velut Corbulo aliquis cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus frequens adeſſe, laudem ſtrenuis, ſolatium invalidis, exemplum omnibus
i 13.An. oſtendere i.

Ducis denique ea virtus ſit, quanquam proſperis ſuis rebus *Moderetur fortuna*
k 15.An moderari fortunæ ſuæ k, nam rebus ſecundis etiam Egregii Du-
l 2.Hiſt ces inſoleſcunt l, qui dum læta
m ibid. omnia ſibi fingunt m, aliquod vulnus per nimiam fiduciam ac-
n in Ag cipiunt n, vel quid, unde victo-
o Hiſt. riam lacerent o. Arceat ſuos à *A recendi milites à præda donec plane vicerint* præda, nimis enim obſtitit ſemper vincentibus, pravum inter ipſos certamen omiſſo hoſte ſpo-
p 4.Hiſt lia conſectandi p: Partam victoriam firmet, & nolit nova mo-
q 12.An liri, niſi prioribus firmatis q, ut *Victoriã firmet.* ille, qui longis itineribus per-

ſcrutatus erat, quæ obtineri ne-
quibant. *r* Tandem pacem, & *r* 15. An
concordiam victis utilia, victo-
Pacem amet ribus pulchra *ſ* amplexetur. Bel- *ſ* 3. Hiſt
lorum enim egregii fines quo-
ties ignoſcendo tranſigantur *t*. *t* 12. An
Ità Majoribus placitum, quantâ
pervicaciâ in hoſtes, tantâ be-
neficientiâ utendum adverſus
Vt diſcordiis internis Hoſtes relinquantur ſupplices *u*. Cùm etiam aliquan- *u* ibid.
do tutius ſit, poſtquam ultioni
ſatis conſultum eſt, hoſtes, re-
belleſque gentes diſcordiis in-
ternis potius relinqui *x*, quam *x* 2. An
tot caſus ſubire, tot prælia & ubi
ſolitudo fiat, pacem appellare *y*, *y* ibid.
Præterquam quod hoſtis longa
Et ne inſtruatur Hoſtis. militia inſueſcit ſigna ſequi, ſub-
ſidiis firmari, dicta Imperatorum
accipere *z* in perniciem noſtram. *z* ibid.
Quinimo, & unicum vitiis in
conſenſu levamentum *a* eſt, ex- *a* 2. Hiſt
tremaque deſperatione ad iram
ſæpius, quàm in formidinem ſti-
Et deſperatione accendatur. mulantur *b*. Cornelius ideo im- *b* ibid.
minentium periculorum reme-
dium ipſa pericula ratus, urge-
bat *c*. Cumque de reliquiis Vi- *c* 11. An
telliani

telliani exercitus dubitaretur, cenſentibus pleriſque interficiendos turbidos, infidos, vicit tamen ratio parcendi, ne ſublata ſpe veniæ, pertinaciâ accende-
d 4.Hiſ rentur *d*. Sed quando dicimus boni Ducis imperatoriam eſſe
e in Agr virtutem *e*, cum bellum eſt, intereſſe Principem pugnæ, an *An p inceps bello intereſſe debeat: Quid im aiunt.*
f1. Hiſt ſeponi melius, dubitatur *f*: & ſunt qui putent ire ipſum, & opponere majeſtatem ſuam debere, ceſſuris, ubi Principem longa experientia, eundemque muni-
g 1. An. ficentiâ ſummum viderint *g*, maxime ſi ſalus Regni in diſcrimen
h 4.Hiſ vertatur *h*: Contrà tamen ille ſummus, dubiis præliorum exemptus, ſummæ rerum ſeipſum ſervet *i*. *Melius vegotur.*
i 1.Hiſt Nec enim decorum Principi, ſi una, alterave Citas turbet, omittere Urbem, ûnde in
k 3. An. omnia regimen *k*: Immotum igitur, infixumque illi ſit, non omittere caput rerum, ſeque, ac Remp. in caſum dare *l*. Sed jam jam iturus, ut Tiberius, legat Comites, conquirat impedi- *Ne ſe is caſum det. Fingat tamen ſe iturum.*

D d

menta, adunet naves, mox varia negocia cauſatus, prudentes, vulgus, & Provincias fallat *m*. *m* II. An

PRINCIPIS EX TACITO.

PARS QVARTA.

SUMMA.

QVARTA tandem parte agitur de ſeditionibus cavendis, detegendis, coercendis: caventur ſollicitudine principis, etiam adverſus ſucceſſores proximos, ne imperium occupare malint quàm expectare: cuſtodiâ certâ & fideli, quæ principem ubique comitetur: tacitâ imminutione poteſtatis, ſi quæ in ſubdito ſit nimia: Exploratione omnium, etiam

ciborum ne pro cibo venenum.

Aperiuntur autem præmio aut cruciatu, imo & incerta quandoque evulgatione, delatoribus tamen ne detur fides.

Vt coërceantur; primo princeps conniveat, & ſecuritati prius conſulat quam vindictæ, interim ne prodat ſuſpicionis indicia, ne malint coniuratores patrati quàm incepti facinoris eſſe rei; acrioris enim viri eſt merito perire feſtinet tamen & inſidias ſi poteſt præveniat: ea enim facinora omnes patiuntur plures volunt, ſed audent pauci: mittat ad vulgus viros facundos & graves, ejus mulcendi peritos imo & alios qui ſeditionis in ſpeciem facti comites quædam exigant ad tempus concedenda, atque ità parent ob-

ſequium : ipſe ſtet intrepidus, ſuamque authoritatem fortioribus ſervet remediis : nam ſi vires ſumpſerit ſeditio, bello etiam certandum : authores, ſi fieri poteſt, rebus eximendi, palam ſi viliores, reſque jam ſit in tuto : clam ſi potentiores aut vulgo grati : ſin opprimi nequeunt palam laudentur, poſteà legationis aut honoris ſpecie removeantur ; numquam enim impunè dimittendi, ſi princeps tutum imperium ſuamque authoritatem inconcuſſam eſſe voluerit.

HACTENUS, Princeps, quomodo arma palàm vi-
a 1.Hiſt tes a, at fraus, & dolus occul-
b ibid. ta, eoque inevitabilia b. Flu- *Ad civile bellū*
xa militum fides, & periculum *venitur.*
c ibid. ex ſingulis c, qui ſpecie ami-
d 15.An citiæ dolum parant d, & unde
utilitas oſtenditur illuc libidi- *Fraudes.*
e 14.An nem transferunt e; privata cui-

que ſtimulatio, & utile decus publicum *f*. Et vero quid pro- *f* 1. Hiſt
derunt cohortes, alæque, ſi unus, alterve præſenti facinore paratum ex diverſo præmium *g*, *g* 2. Hiſt.
& ſummam ſceleris poſcant *h*? *h* 14. An
Princeps pavidus. ut non immerito ſit Princeps ad omnes ſuſpiciones pavidus *i*, & *i* 2. Hiſt
adeo potentiæ anxius *k*, ut diſ- *k* 4. An.
pliceant, & altius illius animum *Etiam adverſus filios* penetrent *l* civilia quoque filio- *l* 1. An.
rum ingenia *m*, ne habere im- *m* 1. An.
perium, quàm expectare malint *n*. *Ne intempeſtive dominari malint.* Caveat proinde ne mo- *n* 1. An.
biles eorum animi præmaturis honoribus ad ſuperbiam extollantur *o*. Quid mirum? Primæ *o* 4. An.
dominandi ſpes in arduo ſunt, ubi ſis ingreſſus, adſunt ſtudia, & miniſtri *p*: Et quia *p* 4. An.
brevi momento ſumma verti poſſunt *q*, omnes orientem *q* Ibid.
ſpectant, occidentem deſerunt *r*. *r* 6. An.
Tiberius ideo ſe tutiorem rebatur, Druſo filio procul ad bellum miſſo *ſ*: *Ideo inviſus ſucceſſor* Ex quo dicimus, *ſ* 2. An.
ſuſpectum, & inviſum, qui proximus deſtinatur *t*, ut ferme *t* 1. Hiſt
acerrima proximorum odia *u*, & *u* In Agr

quæ inter concordes vincula caritatis, incitamenta irarum
x 1. An. apud infenſos ſunt *x*. Suus nihilominus ſanguis cuique indiſcretus, maxime Principibus, quorum proſperis & alii fruuntur, adverſa ad junctiſſimos ſpec-
y 4. Hiſt tant *y*. Igitur, ut redeam, primo miles in forum, miles in
z 1. An. curiam Principem comitetur *z*, excubiæ, arma, cætera aulæ, adeoque cohortem Germanorum olim à Cæſaribus inſtitutam, atque multis experimentis fideliſſimam ad corporis cuſ- *Cautiones Principis pro ſalute.*
a 1. Hiſt todiam adſumat *a*. Nam Ger-
& An. mani cuſtodes Tiberio erant *b*,
b 1. An. eoſque Nero excubiis miſcebat, ut quibus fideret, quaſi exter-
c 15. An. nis *c*. Sed & epulante Principe, non omittatur vetus inſtitutum, quo cibus, potuſque ejus delectus ex miniſtris guſtu explo-
d 13. An. ret *d*, imo & præſumendo re-
e 4. An. media muniat corpus *e*.

Interim vero cruciatu, aut præmio cuncta ſibi pervia eſſe *Conjurationes aperiat.*
f 15. An curet *f*, quod facile aſſequetur, eùm fruſtra ſilentium, & fidem

Quomodo in conſciorum animis ſperes. *g* 5 Ann. Sunt qui cuſtodes, & ſervos, qui multa ſceleris indicia præveniunt *h*, ſuſpectis addunt, *h* 14. An ut inconſultas voces excipiant, nuncios, aperta, ſecreta, velut in annales referunt *i*: Nec *i* 6. An. non delatores, genus hominum publico exitio repertum, nullis ſatis pœnis coërcitum, per præmia eliciunt *k*. Unum autem, & *k* 4. An. præcipuum remedium inſidiarum, ſi non intelligantur *l*, ne *l* 14 An conjurationis manifeſti *m* malint patrati, quàm incæpti facinoris eſſe reos. *n* Othomis verba ſunt, acrioris Viri eſſe, merito perire *o*, poſtquàm in ejuſmodi conſiliis idem eſt, imo periculoſius deprehendi, quàm audere *p*. Connivere igitur aliquando oportet (non tamen adeo, ut diſſimulans ſuſpectior ſit *q*) & ſecuritati conſulere, antequàm vindictæ *r*, interimque videre, ſi incipiens, & nondum pene adulta ſeditio melioribus conſiliis flectatur *ſ*. Sed quanvis magnitudo facinoris metum *t*, prola-

Conniveat tamen aliquando. Tam incæpti, quam patrati facinoris rei.

m 15. An *n* 2. An. *o* 1. Hiſt *p* in Agric. *q* 1. Hiſt *r* 11. An. *ſ* 1. Hiſt

prolationes, & diverſa inter-
t 4. An. dum conſilia afferat t, tamen
quia ſæpe modicis remediis pri-
u 14. An mi motus conſedere u, nihil in *Feſtinandū.*
hiſce caſibus, & tumultibus feſ- *Cogitationes in crimine læſæ Majeſtatis puniuntur.*
x 1. Hiſ. tinatione tutius x: & ſcito ſuſ-
piciones imbecilles, & inania
y 2. An. etiam famæ pertimeſcenda y.
Nam conſpirantibus perſuaſum
eſt privatis cogitationibus re-
greſſus dari, & pro ut velint,
plus, minuſue ſumi ex fortu-
nâ, Imperium cupientibus ni-
hil medium inter ſumma, &
z 2. Hiſt præcipitia z.

a Ibid. Invenio apud Auctores, a Tor-
quatum Silanum morti adactum
quod haberet quoſdam, qui ab
epiſtolis, & rationibus dice-
bantur, nomina ſummæ rei, &
b 15. An meditamenti b, tanquam jam
c 1. An. diſponeret Imperij curas c.

Alterum quod inter imagi-
nes majorum Caii Caſſii effi-
giem coluiſſet, cum inſcriptio-
ne *Duci partium*, quippe ſe-
mina civilis belli quærere vide-
retur d. Quid tandem? Non ne
d 16. An majeſtatis poſtulatus fuit Gra-

nius Marcellus Bithyniæ Prætor, quod ſtatuam ſuam altius, quàm Cæſarum poſuiſſet? *Præveni* ergò *f*; quid enim expectes, jam *f* 1. Hiſt qui deliberant, deſciverunt *g*, *g* 2. Hi. ideoque meliorem in bello, quàm in pace cauſam habent *h*, *h* ibid.

Præveni inſidiantes.

Solent etiam turbidi miſcendis ſeditionibus *i*, & rebellionem captantes *k*, vecordi facundia *l* per conciliabula, & cœtus, ſeditioſa diſſerere *m*, imperitos animos impellunt *n*, clam, & nocturnis colloquiis, aut flexo in veſperam die dilapſis melioribus, deterrimum quemque congregantes *o*. Illi hic inſerunt querelas, & ambiguos de Principe ſermones, quæque alia turbamenta vulgi *p* libertatem, & ſpecioſa nomina prætexantur *q*, mox promptis, jam & aliis ſeditionis miniſtris *r* (quod in ſeditionibus accidit) unde plures erant, omnes ſunt *ſ*. Is enim ſæpe ſtatus animorum eſt, ut peſſimum facinus audeant pauci, plures ve-

Seditioſorum artes.

i 4. Hi. *k* 2. An. *l* 4. Hiſ. *m* 2. An *n* 1. An. *o* Ibid. *p* 1. Hiſt *q* 4. Hiſt *r* 1. An *ſ* 1. Hiſ.

t ibid. ſint, omnes patiantur *t*. Hic *Quare*
ſtatim occurrendum diſcrimi- *primen-*
u ibid. ni *u*, & feſtinandum ante- *da.*
quam creſcat invalida adhuc
x Ibid. conjuratio paucorum *x*. Invenit
æmulos infelix nequitia: quid ſi
y 4. Hi. floreat, vigeatque *y*? at certe
quod accidit in perditis rebus,
omnes præcipere, nemo exe-
z 3. Hiſt qui *z*, conſilium ab omnibus
datur, periculum pauci ſu-
a Ibid. munt *a*. Facilis credulitas eo- *Sed con-*
b 15. An rum, qui pavent *b*, modo ni- *ſilia in*
hil ſpernendum, modo non *tali re*
c 2. An. omnia metuenda ambigunt *c*, *tepida.*
ut non ſatis conſtet, quid pro
d ibid. tempore foret *d*, adeo pavidis
e ibid. conſilia in incerto ſunt *e*. Imo,
quod inter ancipitia deterrimum *Et in-*
eſt, dum media ſequantur, nec *certa.*
f 3. An. audent ſatis, nec provident *f*.
Animo hic ergo opus. Mitte ſta-
tim, quibus facundia ſit, mul-
cendi vulgi artes, & auctori- *Auden-*
g 3. Hiſt tas *g*, ut concedant etiam ſine *dum*
cunctatione, quæ ſtatim tribui *tamen,*
h 1. An. poſſunt *h*; nam cur veniſſet, ex- *& quib.*
clamarent, nulla benefaciendi li- *modis.*
i ibid. centia *i*? At ubi periculoſa ſe-

veritas, flagitioſa largitio *k*, da verba, quæ plurimum valent *l*, ſpem offer, metum intende *m*, blanda promitte, ſpecioſa verbis, & re inania *n*, nam mox irrita facies, quæ per ſeditionem expreſſerint *o*. Mittas etiam, qui eadem velle ſimulent, quo plus auctoritatis conſiliis adſit *p*. Spurinna temeritatis alienæ factus comes, ait noſter, non tàm culpam exprobrans, quàm rationem oſtendens *q*, fato acta dictitans, quæ tali ſeditione eveniſſent *r*, parat obſequium, & amorem parendi *ſ*. Sic etiam Otho per ſpeciem vinculorum Marium Celſum ſævitiæ militum ſubtraxit *t*.

k ibid. *l* 4. Hiſ. *m* 1. An. *n* ibid. *o* ibid. *p* 2. Hiſ. *q* ibid. *r* 4. Hiſ. *ſ* 2. Hi. *t* 1. Hi.

Princeps in trepidus

Interim vero (quanquam res adverſæ conſilium adimunt *u*, ut ſunt molles in calamitate mortalium animi *x*) triſtiſſima quæque occultans, tanto impenſius in ſeveritatem compoſitus, non vultu mutatus, non metu *y*, fortitudinem animi Princeps oſtendas *z*: Non tamen tu ipſe ad iratos eas *a*, ut

Non tamen eat ad Rebelles.

u 11. An. *x* 4. An. *y* 3. An *z* 4. An. *a* 1. Hi.

integra auctoritas tua majoribus remediis ſervetur *b*: Cum etiam eundi ultro ſi ratio ſit, facultas regreſſus, ſi pœniteat, in aliena poſſit eſſe manu *c*. Quanquam præſidium ab audacia mutuari potes *d*. Principem ſua majeſtas defendit *e*, quo viſo ſeditioſi trepidabunt *f*. Divus Auguſtus vultu, & aſpectu Actiacas legiones exterruit *g*, Divuſque Julius uno verbo ſeditionem compeſcuit *h*. Quid enim Princeps nobilitate ingenita, quanvis rudis dicendi *i*, apta temperandis animis diſſerens *k*, non movebit? Multa etiam experiendo fiunt, quæ ſegnibus ardua videntur *l*. Et fortes, & ſtrenui, quibus Dij adſunt *m*, contra fortunam quoque inſiſtunt ſpei: timidi, & ignavi ad deliberationem formidine properant *n*. Tandem, quæ fato manent, quanvis ſignificata, non vitantur *o*.

Aliquando ea.

Viſus enim eius timetur.

b ibid. *c* ibid. *d* 1. An. *e* ibid. *f* Ibid. *g* ibid. *h* ibid. *i* Ibid. *k* Ibid. *l* 15. An *m* 4. Hi. *n* 2. Hi. *o* 1. Hi.

Si ſeditionis aſtus.

Quod ſi vires jam egit ſeditio, fortioribus remediis agen-

Quid agendum. dum erit *p*, etſi Imperium detrectetur bello certandum *q*, utque rei agi poſſint, etiam acie vincendi *r*, ne alioqui periculum ſit ex miſericordia *ſ*. Nihil in vulgo modicum, terrere *Rigide.* ni paveant, ubi pertimuerint, impune contemni *t*. Ubi ergo nefariam voce, aut facto mentem ſuam, & aures aliorum ſeditioſi polluerint, neque carcer, neque laqueus, ne ſervilis quidem cruciatus in eos ſuffecerint *u*. Habet ali- *Puni.* quid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos publica utilitate rependitur *x*. Adeo ut ſæpe multa fiant magis bono exemplo, quàm conceſſo Jure *y*, atque ità ultio ad præſens, in poſterum munimentum eſt *z*. Utendum tamen eventu *a*, ne intempeſtivis remediis delicta accendas *b*, & ſubita coërcitio plus damni in Remp. ferat *c*. *Sed in tempore puni.* Bleſus cum quoſdam ſeditioſos affici verberibus, & claudi carcere juſſiſſet, acriorem in-

p 1. An. *q* ibid. *r* Ibid. *ſ* 3. An. *t* 1. An. *u* 3. An. *x* 14. An *y* 1. An. *z* 1. Hi. *a* 2. An. *b* 12. An *c* 3. An.

de vim fecit, & plures ſedi-
d 1. An. tioni Duces *d*. Druſus contrà,
e ibid. primùm ſeditioſos diſſociavit *e*, *Sublati. auctor.*
quo tutiſſimo remedio conſen-
f 4. An. ſus multitudinis tolleretur *f*:
Et tunc adiiciendos metus cen-
ſuit ſublatis ſeditionum auc-
toribus *g*. Vibulenum, &
g 1. An. Percenium Duces ſeditionis
h ibid. interfici juſſit *h*, & præcipuos
turbantes, nihil auſuros cæte-
ros arbitratus Principibus amo-
i ibid. tis *i*.

Tradunt autem plerique eos
intra tabernaculum Ducis ob- *Et clam punitis.*
k ibid. rutos *k*, caute quidem, ità
Tiberius pſeudo-poſthumi A-
grippæ pænam palàm non au-
ſus, in ſecreta parte Palatii
interfici juſſit, & corpus clam *Maxime*
l 2. An. auferri *l*. Ut piaculum enim *proceri*b.
obiicitur aliquis poſtulantibus *ſecus*
manifeſtior, & punienti vi- *vilibus.*
lior *m*, gratus autem vulgo *n*,
m 1. Hi. & potens in carcerem ductus
n 1. An. ſtatim exanimetur *o*, vel exi-
o 3. An. matur pœna, ut Civilis ille
præpotens inter Batavos, ne
ſupplicio ejus gens ferox aliena-

Diſſimuletur adverſus potentes. retur *p*. Neque vero raro tenuioribus ſtatim irrogata ſupplicia, adverſus illuſtres diſſimulatum ad præſens, mox redditum odium *q*. *p* 1. Hiſt *q*

Tiberius Libonem illum, quem oderat, ornat Prætura, conventibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior, adeo iram recondebat *r*. Illud tamen ſigna, magnum flagitii reum compertum *ſ*, *Nunquam dimittantur impune.* nunquam tuto dimitti: Nam beneficia eo uſque læta ſunt, dum videntur exolui poſſe, ubi multum antevenerint, pro gratia odium redditur *t*, propriumque eſt humani generis odiſſe quem læſerit *u*. *r* 2. An. *ſ* 1. An. *t* 3. An. *u* in Agr

Sanè hos, qui plus quàm civilia agitant *x*, pars conſilii, pacíſque erit *y*, ſi propalam opprimi nequeant, laudibus cumulare *z*. Removere fictis *Sed quid cum illis?* cauſis, & ſpecie honoris *a*, aut legationis ſeponere *b*, præficere Provinciis *c*, externo bello illigare *d*, & tandem dolo ſimul, & caſibus imponere *e*; *x* 1. An. *y* 3. Hiſt *z* 4. Hiſ *a* 12. An *b* 1. Hiſt *c* 13. An. *d* 3. Hi. *e* 2. An.

ut ità nova cupientibus aufera-
tur Dux, & auctor *f*.

f Ibid. Otho non quaſi ignoſceret,
ne hoſtis metum reconciliatio-
nis adhiberet, Celſum intra
intimos amicos habuit, mox
bello inter Duces elegit *g*.

g 1. Hi. Placitum, & aliquando, ut *Filii*
in liberos conſpirantium ad- *Rebel-*
lium in
h 5. An. vertatur *h*, ut ſemina civilis *pœna.*
i 4. Hiſt belli extinguantur *i*: Ità Mu-
tianus Vitellii filium interfici
juſſit, manſuram aliter diſcor-
k ibid. diam obtendens *k*; Filii enim
Patris ferociam, & ſpiritum re-
l 1. An. tinere creduntur *l*.

Decet autem, ut quidam
ſentiunt, in ſeditionibus, ſi om- *An om-*
nium culpa fuit, paucorum eſſe *nes ſe-*
diti oſi
m 1. Hiſ pœnam *m*, ne omnes tollantur *punien-*
n In Agr uno velut ictu *n*, & ut evitentur *di?*
proſcriptiones illæ Civium, &
diviſiones Agrorum, ne ipſis
o 1. An. quidem, qui fecere, laudatæ *o*.
Quinimo Tiberii exemplo, quan-
quam multi ſuſtentaſſe opibus,
p 2. An. & conſiliis dicantur *p*, haud
quæres. Sat eſt enim ſi unus,
alterve, maxime prompti ſub-

vertantur *q*. Bonum etiam ſit *q* 2.Hiſt
collata in libros indicia, con-
Proceſ- feſſioneſque damnatorum pa-
ſus fiat. làm oſtendere, ne crebro vulgi
rumore lacereris, tanquam vi-
ros inſontes ob invidiam, & me-
tum extinxeris *r*. *r* 15.An.

Seditio- Aliquando tamen Domina-
nes ali- tionis arcanum eſt *ſ* (adeo ſunt *ſ* 2. An.
quando incertæ potentium res *t*) maxi- *t*
nutrien- me in populis, qui nec totam li-
da. bertatem, nec totam ſervitutem
pati poſſunt *u*, alere ſeditiones, *u* 1.Hiſt
& turbas dubitatione *x*, cuncta- *x* 3. An.
que, cum prohiberi poſſent,
ſcire malle *y*, ut juſte ſubjugen- *y* ibid.
tur, ſitque intolerantior ſervitus
iterum victis *z*. *z* ibid.

Finis Sed hactenus, quæ pauca de
vum vo- principatu ſtatui diſſerere *a*, hac *a* 4.Hiſt
to ad rara temporum felicitate, &
Princi- ſentire, quæ velis, & quæ ſen-
pem. tias dicere licet *b*. *b* in Ag

Et Deum, Princeps, precor,
ut tibi ad finem uſque vitæ quie-
tam, & intelligentem humani,
Divinique Juris mentem, & qua
majoribus tuis dignum, rerum
publicarum providum, conſ-

tantem in periculis, & offenſionum pro Rep. non pavidum reddat, ut bonum Principem impleas, & quandocumque conceſſeris, cum laude facta, atque famam nominis tui om-
c 4.An. nes proſequantur *c*, temporibuſque tuis dicendis non deſint
d 1.An. decora ingenia *d*.

FINIS.

Digitized by Google

GUALTERI QUINNI
DE VIRTUTIBUS PRINCIPIS.

OPUS EX PRÆSTANTISSIMORUM Authorum floribus & ſententiis contextum,

AD CAROLUM MAGNÆ Britanniæ Principem.

Digitized by Google

Plus proderit, ſi pauca præcepta ſapientiæ teneas, ſed illa in promptu tibi, & in uſu ſint, quam ſi multa quidem didiceris; ſed illa non habeas ad manum.

Demet. Phil. in Sen. 7. de Benef.

Digitized by Google

MONITUM
AVTHORIS AD LECTOREM.

ERVNT fortaſſis qui ſuper-vacuam operam hanc meam, poſt illud à IVSTO LIPSIO in hoc ipſo genere ingenio, judicio, & doctrina ſingulari Politicorum elaboratum opus, exiſtimabunt. Nam & illum dicent de virtute Principis egiſſe. Egiſſe quidem agnoſco, ſed ut de una tantum parte Politicorum: ac proinde viſum illi ſatis, ſi pauca tantum libaret ex variis authoribus, quæ virtutem Principi commendarent. Cum autem quod illi perexigua

Digitized by Google

pars argumenti fuerit,totum mihi ſit, danda fuit opera, ut uberius, ac pleniori (quod aïunt) manu flores hinc inde legerem in uſum Principis noſtri virtutum documentis diligentius erudiendi. Quid hac in re præſtiterim, aliorum eſto judicium. Quòd autem non de virtute tantum, ſed etiam de vitio in genere egerim, cum de ſingulis tantum virtutibus, non de vitiis ſeorſum agam, ratio eſt, quod materiam ad prius, illud utcumque præſtandum authores mihi ſuppeditaverint, ad poſterius hoc non item. Nec etiam appoſitè, aut concinnè de ſingulis virtutibus agere potui, quin & conjunctim cum illis de vitiis mihi fuerit agendum. De meo nihil niſi connexiones, tanquam Cæmentum quoddam, ad vinciendas inter ſe Authorum ſententias adhibui, eaſque quàm potui parciſſimè, operam dans ubicumque commodè licuit, ut id Authores ipſi facerent. Græcorum ſententias dumtaxat Latine

redditas

redditas Latinis attexui ; cum & brevitati ſtuderem , & ad eum quem propoſui mihi finem id ſufficeret. Is autem non alius eſt, quam Principis noſtri , in eoque Reip. bonum: quod utrique mecum á Deo precatus , Vale.

CAPITA OPERIS

SVNT VNDECIM.

I. DE virtute in genere.
II. De Vitio in genere.
III. De Religione.
IV. De Prudentia.
V. De Juſtitia.
VI. De Clementia.
VII. De Fide.
VIII. De Modeſtia.
IX. De Liberalitate.
X. De Temperantia.
XI. De Fortitudine.

GUALTERI QUINNI

DE VIRTUTIBUS PRINCIPIS.

CATUT PRIMUM.

De virtute in genere.

PRINCIPEM, qui, quo aliis major eſt, eò melior eſſe debet, ad virtutem amplectendam merito invitent cùm virtutis ipſius præſtantia & pulchritudo, tum etiam felicitas illi, ac ſubditis ei populis inde proveniens.

QUOD *ad præſtantiam virtutis attinet:* Virtus eſt proprium hominis bonorum. *Tac. 4. Hiſt.*

Immo vero & unum bonum eſt virtus : nullum certe ſine virtute : & ipſa *Sen. Ep. 71.*

virtus in parte noſtri meliori, ideſt rationali, poſita eſt.

Idem ep. 76. *Vnde* validiorem animum, & excelſiorem, & ampliorem facit virtus.

Auth ad Heren. Solaque virtus in ſua poteſtate eſt: omnia præter eam ſubjecta fortunæ dominanti.

Plaut. Amph. *Etiam* divitiarum & formæ gloria fluxa, atque fragilis eſt, virtus clara, æternaque habetur.

Cic. de Amic. *Quamobrem* virtus omnibus rebus anteit profecto.

Pulchritudo etiam virtutis ex eo patet, quod virtute nihil amabilius ſit; nihil quòd magis alliciat homines ad diligendum; quipe cum propter virtutem, & probitatem eos etiam, quos nuſquam vidimus, quodammodo diligamus.

Sen 4. de Benefic. *Quinetiam* placet ſuapte natura, adeoque gratioſa virtus eſt, ut inſitum etiam ſit malis probare meliora.

Merito igitur.

Horat. 3. car. od. 2.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus.

Ad felicitatem Principis ipſius quod attinet.

Plaut. Amphit Omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus.

Si divitias ſpectet; quanti eſt æſtimanda virtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporum permutatione mutatur, qua præditi qui ſunt ſoli ſunt divites: ſoli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas. *Cic. Parad. ult.*

Si delectationem & tranquillitatem animi; major eſt virtutis jucunditas, quàm voluptas, quæ percipitur ex libidine & cupiditate. *Cic. 3. act. in Ver.*

Sola enim virtus præſtat gaudium perpetuum, & ſecurum. *Sen. ep. 27.*

—— Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ. *Iuven. ſat. 10.*

Si decus, & gloriam; gloria virtutem tanquam umbra ſequitur. *Cic. 1. Tuſc.*

—— Et famam extende factis
Hoc virtutis opus. *Virg. 10. Æneid.*

Si bonorum externorum affluentiam: quæ homines arant, navigant, ædificant virtuti omnia parent. *Saluſt. Catil.*

Denique ſi quod optimum maximumque eſt id volumus adipiſci, virtuti opera danda eſt, ſine qua nullam rem expetendam conſequi poſſumus, *Cic. de Amic.*

Subditorum etiam causâ virtus eſt

Principi amplectenda.

Senec. 2. de Clem. Nam à capite bona valetudo. Inde omnia vegeta ſunt, atque erecta, aut languore demiſſa.

Xenoph memor. Socr. *Ideo* Rex eligitur, non ut ſeſe molliter curet, ſed ut per ipſum ij qui elegerunt bene beateque agant.

Cic. de Rep. *Et* Moderatori Reip. beata civium vita propoſita eſt, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.

Plin. Paneg. *Hinc Trajanus*, non aliter pro ſe vota publica ſuſcipi voluit, quam ſi bene Remp. & ex utilitate omnium rexiſſet.

Spart. in Had. *Et ejuſdem ſucceſſor* Hadrianus in concione & ſenatu ſæpe dixit, ita ſe Remp. geſturum, ut ſciret populi rem eſſe, non propriam.

Sen. Conſol. ad Polyb. *Talem ſe reipſa præſtat bonus princeps.* Omnium enim ſomnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vocationem illius occupatio.

Ibid. Illius *verò* Principis magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe quam pro ſe ſciunt.

Claud. 4. Conſul. Honor. *Quocirca.*

Tu civem, patremque geras: tu conſule cunctis,

Non tibi: nec tua te moveant, ſed publica vota.

Exemplo etiam ſuis Princeps præeat.

Nec enim tam imperio ſubditis opus, quàm exemplo. *Plin. Paneg.*

Nam quales in Repub. Principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe cives. *Cic. ep. 3. ad Lent.*

Etiam obſequium in Principem, & æmulandi amor validiora quàm pœna ex legibus, aut metus. *Tacit. Annal.*

Et rectè facere Princeps ſuos faciendo docet. *Vell. lib. 2.*

Siquidem flexibiles quamcumque in partem ducimur à Principe, atque (ut ita dicam) ſequaces ſumus. Huic enim chari, huic probati eſſe cupimus, quod fruſtra ſperaverint diſſimiles; eoque obſequij continuatione pervenimus, ut prope omnes homines unius moribus vivamus. Porro non tam ſiniſtrè conſtitutum eſt, ut qui malum Principem poſſumus, bonum non poſſimus imitari. *Plin. Paneg.*

Itaque

Rex velit honeſta: nemo non eadem volet. *Senec. Thyeſt.*

Et

—— Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus *Claud. 5. Conſ. Honor.*

Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

IAm monendus eſt Princeps *de iis quæ virtuti inſerendæ, & augendæ inſerviunt, cujuſmodi eſt primum recta educatio.*

Sen. de Mo. *Nam* educatio, & diſciplina mores facit, & id ſapit unuſquiſque quod didicit.

Senec. 2. de Ira. Educatio *vero* maximam diligentiam, plurimumque profuturam deſiderat: facile eſt *enim* teneros adhuc animos componere: difficulter recidunt vitia, quæ nobiſcum creverunt.

Plutar. in Moral. *Nam* ut terra, quò melior eſt natura, hoc magis corrumpitur, ſi negligatur: ita ingenia, niſi recte excolantur, quò ſunt feliciora, eò pluribus vitiis obducuntur.

Ibid. *Itaque* ut Agricolæ vallos apponunt arbuſculis, quo recte creſcant: ita qui inſtituit addat monita, & præcepta ingeniis ſalubria, ne deflectant in vitium.

Sen. ep. 90. Facile *enim* tenera conciliantur ingenia ad honeſti, rectique amorem.

Plut. in Themiſ. Generoſa *vero* indoles, ſi accedat inſtitutio, magno bono eſt patriæ: ſin ad vitium

vitium degenerat, magnum adfert malum.

Et ſane ſtudia quæ ſunt in adoleſcentia tanquam in herbis, ſignificant quæ virtutis maturitas, & quænam fruges induſtriæ ſint futuræ. *Cic. pro Cælio.*

Nam in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus eſt. *Sen. ep. 90.*

Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant. *Horat. 4 Car. Od. 4.*

Ergo

——Nunc adhibe puro
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu. *Horat. 1. ep. 2.*

Udum & molle lutum es; nunc, nunc properandus, & acri fingendus ſine fine rota. *Perſ. Sat. 3.*

Virtutem etiam in adoleſcente promovet labor & diligentia.

Nulla eſt enim ſine labore virtus. *Sen. de vita beata*

Nam ſi laborem fugimus, virtus fugienda eſt, quæ neceſſe eſt ut cum aliquo labore res ſibi contrarias aſperne- *Cic. de de Ami*

pars argumenti fuerit, totum mihi ſit, danda fuit opera, ut uberius, ac pleniori (quod aiunt) manu flores hinc inde legerem in uſum Principis noſtri virtutum documentis diligentius erudiendi. Quid hac in re præſtiterim, aliorum eſto judicium. Quòd autem non de virtute tantum, ſed etiam de vitio in genere egerim, cum de ſingulis tantum virtutibus, non de vitiis ſeorſum agam, ratio eſt, quod materiam ad prius, illud utcumque præſtandum authores mihi ſuppeditaverint, ad poſterius hoc non item. Nec etiam appoſitè, aut concinnè de ſingulis virtutibus agere potui, quin & conjunctim cum illis de vitiis mihi fuerit agendum. De meo nihil niſi connexiones, tanquam Cæmentum quoddam, ad vinciendas inter ſe Authorum ſententias adhibui, eaſque quàm potui parciſsimè, operam dans ubicumque commodè licuit, ut id Authores ipſi facerent. Græcorum ſententias dumtaxat Latine redditas

redditas Latinis attexui ; cum & brevitati ſtuderem , & ad eum quem propoſui mihi finem id ſufficeret. Is autem non alius eſt, quam Principis noſtri , in eoque Reip. bonum: quod utrique mecum á Deo precatus , Vale.

CAPITA OPERIS

SVNT VNDECIM.

I. DE virtute in genere.
II. De Vitio in genere.
III. De Religione.
IV. De Prudentia.
V. De Juſtitia.
VI. De Clementia.
VII. De Fide.
VIII. De Modeſtia.
IX. De Liberalitate.
X. De Temperantia.
XI. De Fortitudine.

GUALTERI QUINNI

DE VIRTUTIBUS PRINCIPIS.

CATUT PRIMUM.

De virtute in genere.

PRINCIPEM, qui, quo aliis major eſt, eò melior eſſe debet, ad virtutem amplectendam merito invitent cùm virtutis ipſius præſtantia & pulchritudo, tum etiam felicitas illi, ac ſubditis ei populis inde provenienſ.

QUOD *ad præſtantiam virtutis attinet:* Virtus eſt proprium hominis bonorum. *Tac. 4. Hiſt.*

Immo vero & unum bonum eſt virtus: nullum certè ſine virtute: & ipſa *Sen. Ep. 71.*

virtus in parte noſtri meliori, ideſt rationali, poſita eſt.

Idem ep. 76. *Vnde* validiorem animum, & excelſiorem, & ampliorem facit virtus.

Auth ad Heren. Solaque virtus in ſua poteſtate eſt: omnia præter eam ſubjecta fortunæ dominanti.

Plaut. Amph. *Etiam* divitiarum & formæ gloria fluxa, atque fragilis eſt, virtus clara, æternaque habetur.

Cic. de Amic. *Quamobrem* virtus omnibus rebus anteit profecto.

Pulchritudo etiam virtutis ex eo patet, quod virtute nihil amabilius ſit; nihil quòd magis alliciat homines ad diligendum; quipe cum propter virtutem, & probitatem eos etiam, quos nuſquam vidimus, quodammodo diligamus.

Sen 4. de Benefic. *Quinetiam* placet ſuapte natura, adeoque gratioſa virtus eſt, ut inſitum etiam ſit malis probare meliora.

Merito igitur.

Horat. 3. car. od. 2.
Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus.

Ad felicitatem Principis ipſius quod attinet.

Plaut. Amphit Omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus.

Si divitias ſpectet; quanti eſt æſtimanda virtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporum permutatione mutatur, qua præditi qui ſunt ſoli ſunt divites: ſoli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas. *Cic. Parad. ult.*

Si delectationem & tranquillitatem animi; major eſt virtutis jucunditas, quàm voluptas, quæ percipitur ex libidine & cupiditate. *Cic. 3. act. in Ver.*

Sola enim virtus præſtat gaudium perpetuum, & ſecurum. *Sen. ep. 27.*

—— Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ. *Iuven. Sat. 10.*

Si decus, & gloriam; gloria virtutem tanquam umbra ſequitur. *Cic. 1. Tuſc.*

—— Et famam extende factis
Hoc virtutis opus. *Virg. 10. Æneid.*

Si bonorum externorum affluentiam: quæ homines arant, navigant, ædificant virtuti omnia parent. *Saluſt. Catil.*

Denique ſi quod optimum maximumque eſt id volumus adipiſci, virtuti opera danda eſt, ſine qua nullam rem expetendam conſequi poſſumus, *Cic. de Amic.*

Subditorum etiam causâ virtus eſt

Principi amplectenda.

Senec. 2. de Clem. Nam à capite bona valetudo. Inde omnia vegeta ſunt, atque erecta, aut languore demiſſa.

Xenoph memor. Socr. *Ideo* Rex eligitur, non ut ſeſe molliter curet, ſed ut per ipſum ij qui elegerunt bene beateque agant.

Cic. de Rep. *Et* Moderatori Reip. beata civium vita propoſita eſt, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.

Plin. Paneg. *Hinc Trajanus*, non aliter pro ſe vota publica ſuſcipi voluit, quam ſi bene Remp. & ex utilitate omnium rexiſſet.

Spart. in Had. *Et ejuſdem ſucceſſor* Hadrianus in concione & ſenatu ſæpe dixit, ita ſe Remp. geſturum, ut ſciret populi rem eſſe, non propriam.

Sen. Conſol. ad Polyb. *Talem ſe reipſa præſtat bonus princeps.* Omnium enim ſomnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vocationem illius occupatio.

Ibid. Illius *verò* Principis magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe quam pro ſe ſciunt.

Claud. 4. Conſul. Honor. *Quocirca.*

Tu civem, patremque geras: tu conſule cunctis,

Non tibi: nec tua te moveant, ſed publica vota.

Exemplo etiam ſuis Princeps praeat.

Nec enim tam imperio ſubditis opus, quàm exemplo. *Plin. Paneg.*

Nam quales in Repub. Principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe cives. *Cic. ep. 3. ad Lent.*

Etiam obſequium in Principem, & æmulandi amor validiora quàm pœna ex legibus, aut metus. *Tacit. Annal.*

Et rectè facere Princeps ſuos faciendo docet. *Vell. lib. 2.*

Siquidem flexibiles quamcumque in partem ducimur à Principe, atque (ut ita dicam) ſequaces ſumus. Huic enim chari, huic probati eſſe cupimus, quod fruſtra ſperaverint diſſimiles; eoque obſequij continuatione pervenimus, ut prope omnes homines unius moribus vivamus. Porro non tam ſiniſtrè conſtitutum eſt, ut qui malum Principem poſſumus, bonum non poſſimus imitari. *Plin. Paneg.*

Itaque

Rex velit honeſta: nemo non eadem volet. *Senec. Thyeſt.*

Et

—— Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus *Claud. 5. Conſ. Honor.*

vitium degenerat, magnum adfert malum.

Et ſane ſtudia quæ ſunt in adoleſcentia tanquam in herbis, ſignificant quæ virtutis maturitas, & quænam fruges induſtriæ ſint futuræ. *Cic. pro Cælio.*

Nam in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus eſt. *Sen. ep. 90.*

Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant. *Horat. 4 Car. Od. 4.*

Ergo

——— Nunc adhibe puro
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer. *Horat. 1. ep. 2.*
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Udum & molle lutum es; nunc, nunc properandus, & acri fingendus ſine fine rota. *Perſ. Sat. 3.*

Virtutem etiam in adoleſcente promovet labor & diligentia.

Nulla eſt enim ſine labore virtus. *Sen. de vita beata*

Nam ſi laborem fugimus, virtus fugienda eſt, quæ neceſſe eſt ut cum aliquo labore res ſibi contrarias aſperne- *Cic. de de Ami*

tur & oderit; ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo.

Cato Mai. apud Gel. l. 6. Sed cogitate cum animis veſtris: ſi quid vos per laborem recte feceritis, labor ille cito recedet à vobis, benefactum à vobis dum vivitis non recedet. At ſi qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos ſemper manebit.

Liv. lib. 4. *Etiam* labor & voluptas diſſimillima natura, ſocietate quadam naturali inter ſe junguntur.

Sen. ep. 31. *Et* generoſos animos labor nutrit.

Hinc

Lucan. lib. 9. Lætius eſt, magno quoties ſibi conſtat, honeſtum.

Itaque

Horat. Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit, & alſit.

Plaut. Curcul. *Et* qui è nuce nucleos eſſe vult, frangit nucem.

Horat. 1 Sat. 9. ——Nam nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Senec. Herc. Fur. Nec eſt ad aſtra mollis è terris via.

Et

Virtutem voluere dii ſudore parari : *Lucil. & Heſiod. apud Stob.*

Arduus eſt ad illam longuſque per ardua tractus ;

Aſper & eſt primùm; ſed ubi alta cacumina tanges,

Fit facilis quæ dura prius fuit inclita virtus.

Q*uamvis autem* difficilia quæ pulchra; *Adag.*

Attamen volenti nil difficile.

Et ſane facilis eſt ad beatam vitam via : inite modo bonis auſpiciis, ipſis diis bene juvantibus. Multo difficilius eſt facere quæ facitis. Quid enim quiete otioſius animi ? quid ira laborioſius ? quid clementia remiſſius ? quid crudelitate negotioſius ? Vacat pudicitia : libido occupatiſſima eſt. Omnium denique virtutum tutela facilior eſt : vitia magno coluntur. *Adag. Senec. 2. de Ira.*

C*onſuetudo autem recte agendi laborem minuit, & virtutem auget.*

Conſuetudine levior labor fit. *Liv. 35.*

Et ferre laborem, contemnere vulnus conſuetudo docet. *Cic. 2. Tuſc.*

Etiam poteſt bovem ferre, qui vitulum ſuſtulerit. *Petron. Sat.*

Cic. Off. Nil *vero* magna laude dignum ſine uſu exercitare, & ſine experientia perficere poſſumus.

Curt. 6. Feritatem *etiam* mitior conſuetudo permulcet.

Saluſt. Iugurt. Et ille qui omnem ætatem in optimis artibus egit, benefacere ex conſuetudine in naturam vertit.

Paçat Paneg. ad Theodoſ. Gaudent divina perpetuo motu; & jugi agitatione ſe vegetat animus.

Virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit.

Cic. 2. Offic. *Et* pars virtutis diſciplina conſtat; pars exercitatione. Et diſcas oportet, &

Sen. ep. 94. quod didiciſti agendo confirmes.

Idem ep. 90. *Nam* virtus non contingit niſi animo inſtituto, & edocto, & ad ſummum aſſidua exercitatione perducto.

——Nil conſuetudine maius;
Ovid. Art. 2. Quam tu dum capias, tædia nulla fuge.

Propert. 2. Eleg. 3. —— Primò taurus detrectat aratra;
Poſt venit aſſueto mollis ad arva jugo.

Virgil. 2. Georg. ——Adeo à teneris aſſueſcere (multum eſt.

Ovid. 2. Art. *Ergo* quod male fers, aſſueſce, feres.

Idem. Met. 2. —— Nam morem fecerit uſus.

AD virtutem etiam augendam, & conſervandam multum facit bonorum ſocietas & converſatio.

Nam nulla res magis animis honeſta induit, dubioſque & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum converſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, adſpici frequenter. *Sen. ep. 94.*

Et ſi quid in aliquibus ex ſordida converſatione ſervile eſt, bonorum convictus excutiet. *Idem ep. 35.*

Ut *autem* in peſtilentia cavendum eſt, ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus aſſideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipſo laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis, dabimus operam, ut quàm minime inquinatos aſſumamus. *Idem de Tranquil.*

Enimvero non tam valetudini profuit utilis regio, & ſalubrius cœlum, quàm animis parum firmis in turba meliorum verſari. *Idem 3. de Ira.*

Ergo

Iuven. Sat. 2. Aſpice quid faciant commercia,

Senec. ep. 7. *Et* cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt.

Cic. 3. Act. in Ver. Nec ad amicitiam tuam faciliorem aditum habeat nequitia, & audacia, quam virtus, & integritas.

Comin. c. 33. Nullum autem maius indicium bonæ mentis Princeps poteſt oſtendere quàm ut adjungat ſibi viros virtute, & fama celebres, iiſque familiariter utatur. Nam omnes ſtatim judicabunt eum talem eſſe, quales ii qui apud illum.

ALit quoque virtutem in animo generoſo amor laudis, & gloriæ.

Cic. pro Arch. Poët. Trahimur *enim* omnes laudis ſtudio; & optimus quiſque, maxime gloria ducitur.

Val. Max. 2. cap. 6. *Et ſane*, virtutis uberrimum alimentum eſt honos.

Saluſt. ad Caſ. *Nam* ubi gloriam dempſeris, ipſa per ſe virtus amara atque aſpera eſt.

Tacit. 4. Annal. *Et* contemptu famæ contemnuntur virtutes.

Apud Plut. *Recte igitur dicebat Cato*, eos à juventute virtutem auferre, qui virtu-

tem honore fraudarent. *in Apophth.*

Etiam pueri afficiuntur lætitia, cum vicerint. Ut pudet victos! ut ſe accuſari nolunt! quàm cupiunt laudari! Quos illi labores non perferunt, ut æqualium principes ſint? *Cic. 3. de Fin.*

Themiſtocli *vero*, quem Miltiadis trophæum non patiebatur (ut ipſe dicebat) aut dormire, aut ceſſare, gloriæ ſtudium excuſſit amorem voluptatum, clavum (ut aiunt) clavo. *Plutarch. in Apoph.*

Et Scipio Africanus Socraticum Xenophontem in manibus ſemper habebat; cujus in primis laudabat illud, quod diceret eoſdem labores non æquè eſſe graves Imperatori, & militi, quod ipſe honos laborem Imperatorum faceret leviorem. *Cic. 2. Tuſc.*

Arripuit, traxitque virum, fax mentis honeſtæ, *Sil. Ital. 6.*
Gloria,

———Laudataque virtus
Creſcit; & immenſum gloria calcar habet. *Ovid. 2. de pont*

Magnum iter aſcendo: ſed dat mihi gloria vires; *Propert l. 2.*
Non juvat ex facili lecta corona jugo.

AD virtutem etiam excitatur Princeps virorum illuſtrium, majorum præcipue ſuorum exemplis.

Senec. ep. 6. *Nam* longum iter eſt per præcepta: breve, & efficax per exempla.

Plut. in Timol. *Igitur* tanquam in ſpeculo orna, & compone vitam tuam ad alienas virtutes.

Val. Max. l. 2. Majores natu in conviviis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſo pangebant, quo ad ea imitanda virtutem juvenum alacriorem redderent.

Cic. pro Rab. Hoc *autem* generi hominum prope à natura datum eſt, ut qua in familia laus aliqua floruerit, hanc fere qui ſunt ejus ſtirpis cupidiſſime proſequantur.

Plin. Iun. 1. c. ep. 4. Honeſtiſſimum enim eſt majorum veſtigia ſequi, ſi modo recto itinere præceſſerint.

Hinc Aeneas Aſcanium ſuum ſic hortatur.

Virg. 2. Æneid. Diſce, puer, virtutem ex me, verumque laborem.

Et alibi:

Ecquid in antiquam virtutem, ani- *Idem.* 3. *Aen.*
moſque viriles
Et pater Æneas, & avunculus exci-
tat Hector?

Digitized by Google

CAPUT II.

DE VITIO IN GENERE.

Virtus eſt vitium fugere.

Horat. 1 epiſt. 1. *VNde, ut Princeps illius fiat compos, ab hujus contagione neceſſe eſt diligentiſsime ſibi caveat. Quamobrem cum oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcant, eodem ordine ac modo, quo de virtute actum eſt, de vitio agetur: Et primo quidem loco de illius deformitate, ac de infelicitate, quæ tum in Principem, tum in Rempublicam ab eodem derivatur.*

Guid. 3 de Offic. *Quod ad vitij deformitatem attinet*; an eſt ullum maius malum turpitudine? quæ ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis, quanta illa depravatio, & fæditas turpificati animi debet videri?

Boet. 4. de conſ. proſ. Quinetiam vitioſi, tametſi humani corporis ſpeciem ſervent, in belluas tamen animorum qualitate mutantur.

Vitioſi autem Principis infelicitas ex eo patet, quòd quemadmodum cum virtute omne vitæ genus moleſtiæ expers eſt, & jucundum: ita vitium iis etiam quæ ſplendida videntur, & pretioſa, & veneranda, admiſceatur, moleſta facit, & faſtidioſa, & ingrata poſſidentibus. *Plutar. de Virt. & Vitio.*

Quamobrem

Nemo malus felix. *Iuven. Sat. 4.*

Et improbo nemini bene eſſe poteſt; *Cic. Parad.*

Aut in Regno: namque

——ubi non eſt pudor,

Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides, *Sen. Thyeſt.*

Inſtabile Regnum eſt.

Aut fama. Siquidem

Perlucet omne Regiæ vitium domus. *Sen. Agam.*

Et

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe *Iuven. Sat. 8.*

Crimen habet, quantò major qui peccat habetur.

Unde malorum Regum infamia, atque odium ſæculis traditur. *Sen 1. de Clem.*

Aut in vita: Tam multis enim periculis petetur, quàm multorum ipſe periculum eſt. *Sen 1 de Clem.*

Ibidem. Nec illas ipſas manus, quibus ſe commiſit, ſecurus adſpiciet.

Tacit. 1. hiſt. *Et* Neronem longa Cæſarum ſerie tumentem, non Vindex cum inermi provincia, aut Galba cum una legione, ſed ſua immanitas, ſua luxuria cervicibus publicis depulerunt.

Aut denique in pectore, & conſcientia:

Saluſt. Cat. Animus *enim* impurus, dijs, hominibus infeſtus, neque vigilijs, neque quietibus ſedari poteſt.

Infelicitatem hanc literis ſuis ad Senatum Tiberius (alioqui ſummus ſimulandi, & diſsimulandi artifex) haud diſsimulanter, cogente conſcientia, ſic expreſsit.

Tacit. 6. Annal. Quid ſcribam vobis, Patres conſcripti; aut quomodo ſcribam; aut quid omnino non ſcribam? hoc tempore, dij me deæque peius perdant, quem perire quotidie ſentio, ſi ſcio.

Adeo, facinora, atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant.

Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt; ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus, & ictus, quando ut corpora

verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur.

Quippe Tiberium non Fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fateretur.

Quamobrem

——Hos tu *Iuven. Sat. 13.*
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum tortore animo quatiente flagellum?

Itaque

Magne Pater divûm, ſævos punire tyrannos *Perſ. Sat. 3.*
Haud alia ratione velis: cum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno;
Virtutem videant, intabeſcantque relictâ.

V*Itia Principum infelices etiam ſubditos reddunt:*

Nam

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi. *Horat.*

Et

Lucan. 3 —Procerum motus hæc cuncta ſe-[quuntur:

Humanum paucis vivit genus.

—Nec vulgi cura tyrannis,

Val. Flac. 5. Argon. Dum ſua ſit modo tuta ſalus.

Cic. 1. de Leg. Cupiditatibus etiam & vitiis Principum infici ſolet civitas.

Plin. 4. ep. 22. *Et* ut in corporibus, ſic in imperio graviſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur.

Cic. 1 de Leg. Nec ſolùm vitia concipiunt ipſi Principes, ſed ea infundunt in civitatem: neque obſunt ſolùm quod ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt: pluſque exemplo, quàm peccato nocent.

Quint. de clam. 4. *Nam*, hæc eſt conditio Principum, ut quicquid faciunt præcipere videantur.

Vnde

—Velocius & citius nos

Iuven. Sat. 13. Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis

Cum ſubeant animos authoribus.

Et

Claud. 5 Conſul. Honor. Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Itaque Princeps ſibi caveat à vitijs

præſertim gravioribus.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt, *Horat. 1 Sat. 3.*
Qui minimis urgetur.

Hic vero monendus eſt Princeps ut ſibi caveat ab iis rebus, quæ virtuti plurimùm obſtant, quæque vitia gignunt & alunt; hujuſmodi ſunt primo pravi affectus, & cupiditates.

Cupiditates vero ſunt inſatiabiles, *Cic. 1. de Fin.* quæ non modo ſingulos homines, ſed univerſas familias evertunt, totam etiam labefactant Remp. Ex cupiditatibus odia, diſſidia, ſeditiones, bella naſcuntur.

Nec hæ ſeſe foris ſolùm jactant, nec tantùm in alios cæco impetu incurrunt, ſed intus etiam animis incluſæ inter ſe diſſident, & diſcordant.

Itaque.

Tu licet extremos latè dominere per Indos, *Claud. 4 Conſul. Honor.*
Te Medus, te mollis Arabs, & Seres adorent:
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris ira,

Servitij patiere jugum; tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex eſſe tui.

Cic. pro Sylla. *Et ſanè* Regium eſt ita vivere, ut non modo homini nemini, ſed ne cupiditati quidem ulli ſervias.

Cic. in Parad. Nam cui tandem libero imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? Refrænet primum libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, cæteras animi labes repellat: tum alijs incipiat imperare, cum ipſe improbiſſimis dominis, dedecori, aut turpitudini parere deſierit. Dum quidem his obediet, non modo Imperator, ſed liber omnino habendus non erit.

Senec de Tranq. Non ſunt igitur cupiditates in longinquum mittendæ; ſed in vicinum illis egredi permittamus, quoniam includi ex toto non patiuntur.

SEd ut à conſuetudine vitióſa tibi caveas, & ne pravorum affectuum, ac vitiorum mancipium fias;

Prin-

Principijs obſta: ſero medicina paratur, *Ovid. 1. Remed.*
Cum mala per longas invaluere moras.

Nam omne malum naſcens facile opprimitur: inveteratum fit plerumque robuſtius. *Cic. Philip. 5*

Vnde Helleborum fruſtra, cum jam cutis ægra tumebit, *Perſ. Sat. 3.*
Poſcentes videas: venienti occurrite morbo.

Nam affectus frequentes, neglectique fecere morbum; ſicut diſtillatio una, nec adhuc in morem adducta tuſſim facit; aſſidua & vetus phthiſin. *Senec. ep. 75.*

Unde animus, ſi in iram, amorem, alioſque ſe projecit affectus, non permittitur reprimere impetum. Rapiat illum oportet, & ad imum agat ſuum pondus, & vitiorum natura proclivis. *Sen. 1. de Ira.*

Itaque in primis finibus hoſtis arcendus eſt. Nam cum intravit, & portis ſe intulit, modum à captivis non accipit. *Ibidem.*

Hinc facilius eſt excludere pernicioſa, quam regere; & non admittere, quam admiſſa moderari. *Sen. 1. de Ira.*

Cum enim ſe in poſſeſſione poſuerunt, potentiora rectore ſunt, nec re- *Ibidem.*

cidi ſe, minuive patiuntur. Deinde ratio ipſa, cui fræna traduntur, tamdiu potens eſt, quamdiu diducta eſt ab affectibus.

Si miſcuit ſe illis, & inquinavit, non poteſt continere quos ſubmovere potuiſſet.

Publ. Mim. *Enimvero* graviſſimum eſt imperium conſuetudinis.

Curt. lib. 5. *Et* conſuetudo eſt naturâ potentior.

Cic. de Leg. Agr. *Nam* non ingenerantur hominibus mores tam à ſtirpe generis, & ſeminis, quam ex ijs rebus, quæ ab ipſa natura loci, & à vitæ conſuetudine ſuppeditantur.

Cic. de Leg. *Vnde* corruptela malæ conſuetudinis igniculi extinguuntur à natura dati, exoriunturque & confirmantur vitia contraria.

Ergo quia vitioſam conſuetudinem parit negligentia & otium,

——denique teipſum

Hor. 3. Sat. 3. Concute, num tibi quæ vitiorum inſeverit olim

Natura, aut etiam conſuetudo mala; Namque

Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Et

Fertilis, aſſiduo ſi non renovetur aratro, *Ovid. 5. Triſt. El. 12.*
Nil niſi, cum ſpinis, gramen habebit, ager.

Etiam

Cernis ut ignavum corrumpunt otia corpus; *Idem 1. de Pont.*
Et capiant vitium, ni moveantur, aquæ.

Et ſane res eſt diſciplinæ inimiciſſima otium. *Vel. lib. 2*

Næ igitur illi falſi ſunt, qui diverſiſſimas res pariter expetant, ignaviæ voluptatem, & præmia virtutis. *Saluſt. Iugurt.*

Natura enim humana ſicut duris laboribus inſtruitur; ita per otia torpentia fatuatur. *Caſsiod 1 ep. 39.*

Nam

—variam ſemper dant otia mentem. *Lucan. 1*

Et, Otium eſt vivi hominis ſepultura. *Sen. ep. 82.*

Denique

Otium Reges prius, ac beatas *Catul. Od. ad Lesb.*
—— perdidit urbes.

P*Orro ne converſatio, & convictus improborum nocere poſsit;*

Magni intereſt, quos quiſque audiat *Cic in Orat.*

quotidie domi, quibuſcum loquatur à puero.

Nam corrumpunt bonos mores colloquia prava. *Param. Menand.*

Præcipue

Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas. *Virg. 3. Georg.*

Nam peiora juvenes facile præcepta audiunt. *Sen. Thyeſt.*

Natura *enim* tenaciſſimi ſumus eorum, quæ à pueris diſcimus: Et hæc ipſa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora ſunt. *Quint. lib. 1.*

Ergo

Nil dictu fœdum, viſuque hæc limina tangat, *Iuven. Sat. 14.*
Intra quæ puer eſt: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis Paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia: ſi quid
Turpe paras, pueri ne tu contempſeris annos.

Plures *autem* exemplis, quam peccandi licentia læduntur. *Amm. Marcel 22.*

Vnde imprudentes etiam vitia eorum imitamur, quibuſcum vivimus. *Plutar. Alex.*

Et balbutire diſcit; quiſquis aſſi- *Aphor.*

duo cum balbo vivit.

Ita etiam ſumuntur à converſantibus mores: &, ut quædam in contractos corporis vitia tranſiliunt; ita animus mala ſua proximis tradit. *Sen. ep. 41.*

——Quoniam dociles imitandis
Turpibus, & pravis omnes ſumus. *Iuven. Sat. 14.*

Itaque

Si damnoſa patrem juvat alea, ludit & hæres *Ibidem.*
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.

——Unus, & alter
Forſitan hæc ſpernant juvenes, quibus arte benigna, *Ibidem.*
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt,
Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ,

S*Ed nullius mali contagio Principem magis lædit, quam* adulatio, vitiorum altrix. *Amm. Marcel. lib. 20.*

Semper *enim* magnæ fortunæ comes eſt adulatio. *Vel. lib. 2*

Tacit. 1. Annal. *Et* quibuſdam omnia Principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt.

Atqui

Iuven. Sat. 4. ——Nihil eſt quod credere de ſe
Non poſſit, cum laudatur diis æqua poteſtas.

Sen. ep. 45. Adulatio autem quàm ſimilis eſt amicitiæ! non imitatur tantum illam, ſed vincit, & præterit: Apertis & propitiis auribus recipitur; & in præcordia ima deſcendit, eo ipſo gratioſa, quo lædit.

Tacit. 3. hiſt. Hinc vera dicturos arcuere intimi amicorum Vitellij; ita formatis Principis auribus, ut aſpera quæ utilia, nec quicquam, niſi jucundum ac læſurum acciperet.

Plin lib. 11. c. 19. *Nam*, quod oleum eſt muſcis, formicis, fereque reliquis inſectis; id eſt adulatio ſtultis Principibus. Siquidem oleo peruncta moriuntur illa: hi aſſentatione, & obſequio palponum in exitium trahuntur ipſi, & trahunt Remp.

Curt. l. 8 *Sane* Regum opes ſæpius aſſentatio, quàm hoſtis evertit.

Cic. de Amicit. *Itaque* verum eſt illud Catonis: melius de quibuſdam acerbos inimicos

mereri, quàm eos amicos qui dulces videantur: Illos verum ſæpe dicere, hos numquam.

Sæpe enim

Impia ſub dulci melle venena latent. *Ovid.1. Amor.*

Sed aſſentatio, quamvis pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt, niſi qui eam recipit, atque eâ delectatur. Ita fit, ut is aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maxime, qui ſibi ipſi aſſentetur, & ſe maxime delectet. *Cic. de Amic.*

Quapropter

——Non ſi quid turbida Roma *Perſ. Sat. 1.*
Elevet, accedas, examenve improbum in illa
Caſtiges trutina; nec te quæſiveris extra.

Sed potius

Reſpue quod non es: tollat ſua munera Cerdo: *Ibidem.*
Tecum habita; & noris quàm ſit tibi curta ſupellex.

V*itia etiam in Principe fovet proſpera fortuna.*

Nam ſecundæ res mirè ſunt vitiis obtentui. *Saluſt.1*

Etiam res ſecundæ valent commutare naturam; & raro quiſquam er- *Curt 10*

ga ſua bona ſatis cautus eſt.

Tacit. 1. hiſt. *Enimvero* ſecundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant, quia miſeriæ tolerantur; felicitate corrumpimur.

Sen. ep. 39. *Siquidem* omnia quæ ſuperfluunt, nocent: ſegetem nimia ſternit ubertas: Rami onere franguntur: ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem quoque animis evenit, quos immoderata proſperitas rumpit, qua non tantum in aliorum injuriam, ſed etiam in ſuam utuntur.

Liv 41. *Itaque* modum imponere ſecundis rebus, nec nimis credere ſerenitati præſentis fortunæ prudentis hominis, & merito felicis eſt.

Sen. Troad.
——Quoque fortuna altius
Evexit, ac levavit humanas
opes,
Hoc ſe magis ſupprimere felicem decet.

UT autem quid inter Virtutem, & vitium interſit, melius agnoſcas;

Virg. Opuſc.
Litera Pythagoræ diſcrimine ſecta
bicorni;

Hu-

Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur:
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum ſpectantibus offert:
Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter via lata; ſed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemque decuſque parabit.
At qui deſidiam, luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
Turpis, inopſque ſimul miſerabile tranſiget ævum.

CAPUT III.

DE RELIGIONE.

De Religione ac pietate in Deum, præcipua quidem virtutis parte, divina tamen potiùs, quàm morali, quæ, propoſitis præmijs ac ſupplicijs æternis, efficaciſſimè Principem *ad virtutem invitat, & à vitijs abſterret, ex profeſſo ſacræ Literæ, earumque fidi Interpretes documenta tradunt: pauca admodum* Philoſophi, *ac humaniorum literarum ſcriptores: è quibus pro noſtro inſtituto nonnulla excerpſimus, quæ eandem* Principi *commendent.*

Epict. Enchir.

Religionis erga Deum immortalem præcipuum illud eſſe ſcito, rectas de eodem habere opiniones, ut ſentias & eſſe, & bene, juſteque adminiſtrare univerſa: parendum eſſe illi, & in omnibus iis quæ fiunt acquieſcendum, & ſequenda ultro, ut quæ à mente præſtantiſſima regantur.

Et cultus deorum eſt optimus, idemque, caſtiſſimus, atque ſanctiſſimus, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce venereris. *Cic. 2. de Nat. Deor.*

Decet autem quod optimum eſt ab optimo coli, & quod imperat ab imperante. *Diog. apud Stob.*

Nam & ſubditi minus injuſtum aliquid ſperant ab eo Principe ſe paſſuros, quem religionum, deorumque verentem exiſtimant; & minus ei inſidiantur, ut tutores, & adjutores habenti etiam deos. *Ariſt. 5. Pol c. 10*

Pietate *autem* adverſus deos ſublata, fides etiam, & ſocietas humani generis, & unà excellentiſſima virtus juſtitia tollatur neceſſe eſt. *Cic. de Nat. Deor.*

Itaque non dubitavere ſacris Imperia ſervire, ita ſe rerum humanarum futura regimen exiſtimantia, ſi divinæ potentiæ bene, atque conſtanter eſſent famulata. *Val. l. 1. cap. 1.*

Omnia *enim* proſpera eveniunt colentibus deos, adverſa ſpernentibus. *Liv. l. 5.*

Siquidem Deus, qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, *Cic. 2 de Leg.*

intuetur; piorumque & impiorum habet rationem.

Hor. 3. Car. Od. 6. *Unde*

Diis te minorem quod geris, imperas:
Huc omne principium, huc refer exitum.
Dii multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

Sen. Frag. Magnum *vero* neſcio quid, majuſque quàm cogitari poteſt, Numen eſt. Cui vivendo operam damus, huic nos approbemus. Nihil prodeſt incluſam eſſe conſcientiam: patemus Deo.

Idem ep. 82. Sic *igitur* vivendum eſt, tanquam in conſpectu vivamus: ſic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intuitum trahere poſſit. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum cum nihil Deo clauſum ſit.

Saluſt. ad Caſ. *Namque* mihi pro vero conſtat, omnium mortalium vitam divino Numine inviſi; neque bonum, neque malum facinus cujuſquam pro nihilo haberi; ſed ex natura diverſa præmia bonos, maloſque ſequi.

Boët l. 5 Conſ. Manet certe ſpectator deſuper cunctorum præſcius Deus, viſioniſque ejus

præſens ſemper æternitas cum noſtrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis præmia, malis ſupplicia diſpenſans, nec fruſtra ſunt in Deo poſitæ ſpes, preceſque: quæ, cum rectæ ſint, inefficaces eſſe non poſſunt. Averſamini igitur vitia, colite virtutes; ad rectas ſpes animum ſublevate; humiles preces in excelſa porrigite. Magna vobis eſt, ſi diſſimulare non vultis, neceſſitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis.

Nemo *vero* magnus ſine aliquo afflatu divino unquam fuit. *Cic.2.de Nat. Deor*

Et bonus vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adjutus exurgere? Ille dat conſilia magnifica, & erecta. *Sen. ep. 41.*

Fugienda autem Superſtitio;

Nam ſuperſtitio error inſanus eſt: amandos timet; quos colit violat. *Sen. ep. 123.*

Et ſuperſtitione qui eſt imbutus, quietus eſſe nunquam poteſt. *Cic.1.de Fin.*

Ritus enim ſuperſtitioſi

Faciunt animos humiles formidine Divûm, *Lucan.*
Depreſſoſque premunt ad terram.

Sen. Tr. Si cui *autem* intueri vacet quæ faciunt, quæque patiuntur ſuperſtitioſi, inveniet tam indecora honeſtis, tam indigna liberis, tam diſſimilia ſanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos, ſi cum paucioribus furerent. Nunc ſanitatis patrocinium eſt, inſanientium turba.

Cic. de Divin. *Quamobrem* ut religio propaganda eſt, quæ eſt conjuncta cum cognatione naturæ: ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes eijciendæ.

Plut. in Lacon. *Nam* poſt hanc vitam felices erunt qui hic pie, juſteque vixerint, non qui fictis ceremoniis fuerint initiati.

Senec. Optimus *enim* animus pulcherrimus Dei cultus.

Ergo

Virg. 6. Æneid.
Diſcite juſtitiam moniti, & non
temnere Divos.

Namque

Ovid. 13 Metam.
Aſpiciunt oculis Superi mortalia
juſtis.

Quocirca

Sen. Thyeſt.
Vos, quibus rector maris atque
terræ
Jus dedit magnum necis, atque
vitæ,
Ponite inflatos, tumidoſque vultus.

Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne ſub regno graviore regnum eſt.

Siquidem

Nil ita ſublime eſt, ſupraque pericula tendit, *Ovid. 4. Triſt.*
Non ſit ut inferius, ſuppoſitumque Deo.

——*Ergo*, quæcunque capeſſes,
Teſtes factorum ſtare arbitrabere Divos. *Sil. 15.*

Nam

Non ſecura quies illos, ſimiliſque ſopori *Ovid. 1. Art.*
Detinet: innocui vivite, Numen adeſt
Reddite depoſitum: pietas ſua fœdera ſervet:
Fraus abſit: vacuas cædis habete manus.

————————At vos
Dicete Pontifices, in ſancto quid facit aurum? *Perſ. Sat. 2.*
Nempe hoc quod Veneri donatæ à Virgine pupæ.

Quin damus id Superis, de magna quod dare lance.
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago?
Compoſitum jus faſque animo, ſanctoſque receſſus,
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.
Hæc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

CAPUT IV.

DE PRVDENTIA.

CVm Prudentia, *quæ virtus eſt Principi maxime neceſſaria, non modò reliquarum virtutum, ſed etiam actionum omnium humanarum rectiſſima ſit norma & regula; de hac, ut iiſdem rectius applicari poſſit, doctorum & prudentium hominum ſententias aliquot, pro inſtituta brevitate, in uſum* Principis *noſtri concinnare viſum eſt operæ pretium.*

P*oteſt autem definiri* Prudentia, intellectus, & delectus rerum, quæ publicè, privatimque fugiendæ, aut appetendæ.

Ea vero eſt virtutum princeps; reliquiſque omnibus utitur; atque ipſarum ordinem, modum, & occaſionem in præſentia, tanquam oculus quidam mentis undequaque lucidiſſimus, oſtendit. *Iambl. apud Stob.*

Apud eundem — *Vnde merito dicebat* Bion, prudentiam tanto cæteris virtutibus antecellere, quanto reliquis ſenſibus præſtaret viſus.

Ariſt 6. Ethic. — Ille *autem* eſt vir prudens, qui poteſt bene conſultare, & judicare de iis, quæ ipſi, vel aliis ſunt bona, & utilia, non ex parte ſolum aliqua, ſed quoad totam vivendi rationem.

Cic. 5. de Fin. — *Itaque* ars vivendi eſt prudentia; ut medicina valetudinis.

Auth. lib. de 4. Virt. — Hæc præſentia ordinat, futura providet, præterita recordatur.

Ariſt. 3. Pol. — Eſt *autem* prudentia propria imperantis virtus.

Epict. apud Stob. — *Igitur* quemadmodum, ſi gubernare navem velles, omnino prius artem gubernandi perdiſceres: ita civitatem recturus regendi diſciplinam addiſcito.

Titin. — *Vt autem* ſapientia gubernator navim torquet, non valentia;

Tacit. 13 Annal. — *Ita* plura in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis, quam telis & manibus geruntur.

Liv. 25. — *Et* multa quæ impedita ſunt natura, conſilio expediuntur.

Curt. 4. — Nec quicquam poteſt eſſe diuturnum, cui non ſubſit ratio.

Nam vis conſilii expers mole ruit ſua. *Horat. car. od. 3*

Vis *autem* adjuncta prudentiæ uſui eſt: ſine ea magis abit in noxam. *Iſocr. ad Dem*

Et parui ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi. *Cic. 1. de Offic.*

Etiam bono Imperatori haud magni momenti fortuna eſt: mens, ratioque, dominatur. *L. v. 22*

Et omnia ſumma ratione geſta, etiam fortuna ſequitur. *Liv. 5.*

Nam ſapiens pol ipſe fingit fortunam ſibi. *Plaut. Trin.*

Quare

Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia; nos te,
Non facimus, fortuna, Deam, cœloque locamus. *Iuven. Sat. 10.*

Proinde, ô Princeps, ſi vis tibi omnia ſubjicere, te ſubjice rationi. Multos reges, ſi ratio te rexerit, Ab illa diſces, quid, & quemadmodum aggredi debes. *Sen. Ep. 37.*

Hac duce per totam vitam eundum eſt: minima maximaque ex hujus conſilio gerenda ſunt. *Idem 1. de Ben.*

CÆterum faciendi aliquid, vel non faciendi vera ratio cum homi- *Plin. 6. Ep.*

num ipſorum, tum rerum etiam,ac temporum conditione initur.

Primum autem quod ad homines attinet:

Mart. Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos

Pythag. apud Stob. Igitur imperandi modum ſingulorum moribus decenter accommodato : cum probis moderate, cum ſupinis vehementius,cum audacibus acerbe, cum modeſtis denique & cautioribus leniter agas.

Tacit. 1 An. *Germanicum imitare* , qui alium ſpe , alium gloria , cunctos alloquio , & cura, ſibique , & prælio firmabat :

Idem 2. hiſt. Et *Veſpaſianum*, qui ſolitus ſuos adire, hortari, bonos laude, ſegnes exemplo incitare ſæpius, quàm coercere, vitia magis amicorum, quàm virtutes diſſimulans.

Liv. 45. Sunt *etiam* tam civitatum, quàm ſingulorum mores.

Tac. 3. An. Noſcenda eſt *igitur* tibi natura vulgi , & quibus modis temperanter habeatur.

Eam novit Cæſar.

Gnarus & irarum cauſſas , & ſumma favoris

Annona momenta trahi: namque aſſerit urbes *Lucan.* 3

Sola fames: neſcit plebes jejuna timere.

Et Auguſtus, qui militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit; *Tacit.* 1. *Annal.*

Nec non civile rebatur miſceri voluptatibus vulgi. *Ibid.*

Nam vulgi favor, ut largitione & ambitu male acquiritur, ita per bonas artes non ſpernendus. *Id.* 1. *hiſt.*

Proprium *autem* eſt hoc prudentiæ, conciliare ſibi animos hominum, & ad uſus ſuos adjungere. *Cic.* 1. *de Offic.*

Raro *enim* eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam ſuam uſi ſunt. *Vell.* l. 2.

Nam nullum majus boni imperii inſtrumentum, quàm boni amici. *Tacit.* 3. *hiſt.*

Et ſane cum plurimis amicitiis fortuna Principis indigeat, præcipuum eſt Principis opus, amicos parare. *Plin. Paneg.*

Habes *autem, ô Princeps*, amicos, quia ipſe amicus es. Neque enim ut alia ſubjectis, ita amor imperatur. Neque eſt ullus affectus, tam erectus, & liber; nec qui magis vices exigat. Poteſt fortaſſe Princeps iniquè, po- *Ibid.*

teſt tamen odio eſſe nonnullis. Amari; niſi ipſe amet, non poteſt.

Ibidem. *Quare* cum civibus tuis, quaſi parens cum liberis, vivas;

Tacit. 5. hiſt. Comitate, & alloquiis officia provocans;

Ibid. Sed incorrupto Ducis honore.

Plin. Paneg. Nec aut reverentiam terrore, aut amorem humilitate captabis;

Tacit. 1. Annal. *Et cum Germanico* magnitudinem & gravitatem ſummæ fortunæ retinens, invidiam & arrogantiam effugies.

Cic. in Ora. ad Brut. Ita *enim* virtutes ſpecie diſpares prudentia junguntur.

Hoc te tamen moneo:

——Sapiente diffidentia

Eurip. Non alia res utilior eſt mortalibus

Plaut. Capi. *Et* qui cavet ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet.

Sed contra & illud inculco.

Sen. ep. 7. Multi fallere docuerunt, dum timent falli.

Caſ de Bel Civil. Nec prudentes ſuſpicari oportet ſibi parum credi.

Liv. 22. Nam vult ſibi quiſque credi: & habita fides ipſam obligat fidem.

Ovid. 1. Metam. ——Medio tutiſſimus ibis.

Sen ep. 3 Utrumque *enim* in vitio eſt, & om-

nibus credere, & nulli.

Et prudentis proprium eſt examinare conſilia, nec cito fallaci credulitate ad falſa prolabi. *Auth. l. de 4. Virt.*

Fallaces enim ſunt rerum ſpecies, & multa interveniunt, per quæ & malus pro bono ſubrepat, & bonus pro malo diſpliceat. *Sen. 4. de Ben.*

Sed quo minus decipiare; tales nos crede, qualis fama cujuſque eſt. Huic oculos intende. Ne reſpexeris clandeſtinas exiſtimationes, nulliſque magis quàm audientibus inſidiantes ſuſurros. Melius omnibus, quàm ſingulis creditur: ſinguli enim decipere, & decipi poſſunt. Nemo omnes, neminem omnes fefellerunt. *Plin. Paneg.*

Sed maxime ſibi caveant Principes ab Aulæ ſervis;

Qui in aures eorum ficte & ſimulate quæſtus ſui cauſa inſuſurrant: *Cic ad Quint. Frat.*

A quibus ſæpe, ut aiebat Diocletianus, bonus, cautus, optimus venditur Imperator. *Vopiſc. in Aureliano.*

Etiam ſpecies ipſa gratioſi liberti, aut ſervi dignitatem habere nullam poteſt. *Cic ad Quin. Frat.*

Nam præcipuum indicium non magni Principis, magni liberti. *Plin. Paneg.*

Cic 1.de Offic. *QVod ad res ipſas attinet: agere quod agas conſiderare, omnique in re quid ſit veri videre, & tueri decet.*

Sen.4. de Ben. Nunquam autem expectare oportet certiſſimam rerum comprehenſionem, quia in arduo eſt veri exploratio, ſed eâ ire quâ ducit veriſimilitudo.

Cic.1.de Offic. Ad rem gerendam *autem* qui accedit, caveat ne id modò conſideret, quàm illa res honeſta ſit, ſed etiam ut habeat efficiendi facultatem.

Tacit.3. Annal. Nam indecorum Principi attrectare quod non obtineat.

Cic.1.de Offic. Sed conſiderandum eſt, ne aut temere deſperet propter ignaviam;

Tacit.15 Annal. (Multa enim experiendo fiunt, quæ ſegnibus ardua videntur)

Cic 3 de Offic. Aut nimis confidat propter cupiditatem;

Sen.1.de Ira. Nam concupiſcunt homines ea quæ non poſſunt:

Et omnis fere cupiditas ipſa ſibi in id quod properat opponitur.

Cic.1.de Offic. In omnibus autem negotiis, antequam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.

Ibidem. Illud etiam ingenii magni eſt præcipere cogitatione futura, & aliquanto

quanto ante conſtituere quid accidere poſſit, & quod agendum ſit, cum quid evenerit, nec committere, ut aliquando dicendum ſit, Non putaram.

Nam iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt videre; ſed etiam illa quæ futura ſunt proſpicere. *Ter. Adelph.*

Ad res *autem* gerendas adhibeatur & induſtriæ celeritas, & diligentiæ tarditas. *A Gell. l. 10.*

Nam ſat celeriter ſit, quicquid ſatis bene. *Aug. in Suet.*

Excitanda eſt igitur animadverſio & diligentia, ne quid temere, ac fortuito, inconſiderate, ac negligenter fiat. *Cic. 1. de Offic.*

Nam temeritas cum ſapientia non commiſcetur. *Idem pro Mur.*

Et diligentia in omnibus rebus plurimum valet. *Idem 2. de Orat.*

Hæc ſemper adhibenda: hæc nihil eſt quod non aſſequatur: qua una virtute reliquæ omnes virtutes continentur.

Hanc adhibeat Princeps. Nam maximo Imperio maxima cura ineſt. *Saluſt. ad Caſ.*

Sed magnæ curæ magna merces eſt. *Ibid.*

Tacit. 16 Annal. *Illi autem*, omiſſis præcipitibus tuta, & ſalutaria capeſſenda.

Tacit. Agric. *Sit etiam* eruditus utilia honeſtis miſcere.

Plin. 7. ep. 21. *Et ſciat* neceſſitates voluptatibus, ſeria jucundis anteferenda.

Sen. Ep. 4. Nec eſſe turpe cum re mutare conſilium.

Ibid. Nam ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt: Quod ſemel dixi, qualecunque eſt, fixum ratumque ſit.

Saluſt. Iugurt. *Sed quia* humanarum rerum pleraſque fortuna regit:

Sen. 4. de Ben. Imprudentium iſta fiducia eſt fortunam ſibi ſpondere: ſapiens utramque partem ejus cogitat.

Terent. Adelph. Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris:

Si illud quod maxime eſt opus jactu, non cadit,

Illud quod cecidit forte id arte ut corrigas.

Plaut. Pſeud. Nam ita præcellet, aut exinde ſapere eum omnes dicimus, ut quiſque fortuna utitur.

Sen. Med. Sui. *IN rebus etiam gerendis.*

——Tempori aptari decet.

Nam bonæ & honeſtæ res, ſi fiunt

intempeſtive, non probantur.

Et multa, quæ honeſta natura videntur, temporibus fiunt non honeſta. *Cic. 3. de Offic.*

Multa *etiam* temporum momentis pretioſa fiunt, aut vilia. *Quint. Decl. 12.*

Magna *vero* in Rep. momenta ſunt temporum: & multum intereſt, idem illud ante, an poſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur. *Cic. Ph.*

Si *autem* prudentiam amplecteris, ubique idem eris: & prout rerum ac temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori; nec te in aliquibus mutes, ſed potius aptes: ſicut manus eadem eſt, cum in palmam extenditur, & cum in pugnum aſtringitur. *Auth. l. de 4. Virt.*

Itaque in omnibus quid tempora petant, aut perſonis dignum ſit conſiderandum eſt. *Cic. 2. de Invent.*

Plerumque ſera pro nullis ſunt. *Quint. Decl. 12.*

Tolle moras: ſemper nocuit differre paratis. *Lucan. 1.*

Plerumque utilis, & tuta eſt dilatio; & multa mutantur unius diei tempore. *Halic. 8.*

Differ: habent parvæ commoda magna moræ. *Ovid. 3. Faſt.*

Suid. in verbo. ἐπιστά-της.

Sed occaſio rerum omnium optima magiſtra.

In qualibet enim re opportunum tempus ſpectandum eſt.

Ovid. 1. Remed.

Temporibus medicina valet : data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quinetiam accendas vitia, irriteſq; vetando ,
Temporibus ſi non aggrediare ſuis.

Auth. lib. de 4. Virt.

VEra *autem prudentia* fallere non vult, & falli non poteſt.

Plin. Paneg.

Nunquam *enim* deceptus eſt Princeps, niſi qui prius ipſe decepit.

Cic. 3. de Offic.

Itaque ne quid inſidiosè, ne quid ſimulatè, ne quid fallaciter agat:

Idem 3. de Nat. Deorũ.

Neque rationem à Diis immortalibus datam in fraudem, malitiamque convertat:

Cic. pro M Cal.

Sed unum illud ad laudem cum virtute directum iter probet ,

Idem. ep. 1. ad Attic.

Sine fuco, & fallacia.

Salluſt. Cat.

Nam gloriam, honorem, & Imperium bonus, & ignavus æquè ſibi exoptat : ſed ille vera via nititur : huic

quia bonæ artes deſunt, dolis atque fallaciis contendit.

Nulla *autem* pernicies vitæ major eſſe poteſt, quam cum in vita ineſt ſimulatio. *Cic. 2 de Offic.*

Ne ſit igitur Princeps *ſimilis aut Tiberio*, qui nullam æquè, ut rebatur, ex virtutibus ſuis, quàm diſſimulationem diligebat. *Tacit. 5. Annal.*

Aut Caio, qui, etſi commotus ingenio, ſimulationum falſa in ſinu Avi perdidicerat; *Idem 6. Annal.*

Sed potius Agricolæ; qui ut bonis comis, ita adverſus malos injucundus. Cæterum ex iracundia nihil ſupererat: ſecretum & ſilentium ejus non timeres: honeſtius putabat offendere, quàm odiſſe. *Tacit. Agric.*

Et in eo Trajani ſimplicitas, veritas, candor agnoſcatur: *Plin. Paneg.*

Ita ut eſſe, quàm videri probus malit; *Saluſt. Catil.*

Non quales illi, quos ambitio falſos fieri ſubegit, magiſque vultum, quam ingenium bonum habere. *Ibid.*

Nempe *Sen. Hippol.*

O vita fallax abditos ſenſus geris,

Animiſque pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum: vera fallaces probant:
Simulantque molles dura.

Verum enim vero

Publ. Malus, cum ſe bonum ſimulat, tunc eſt peſſimus.

Cic. 3. de Offic. Quo quis *autem* verſutior & callidior, hoc eſt inviſior & ſuſpectior detracta opinione probitatis.

Tacit. 1. hiſt. Plus *enim* formidinis afferunt falſæ virtutes, & vitia reditura.

Cic. 3. de Offic. Quocirca aſtutiæ tollendæ ſunt, illaque malitia, quæ vult quidem videri ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea diſtatque quamplurimum.

Idem 2. de Offic. *Nam* ſi qui ſimulatione, & inani oſtentatione ficto non modo ſermone, ſed etiam vultu ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam floſculi, decidunt: nec ſimulatum poteſt quicquam eſſe diuturnum.

Nulli autem magis quam bono Principi licet magnifice, graviter, animoſeque vivere, atque etiam ſimpliciter, vitæque hominum amicè. *Idem 1. de Off.*

*E*St *etiam prudentia*, *quæ* locata eſt in dilectu bonorum & malorum, eadem à ſe invicem ſecernere. *Cic. 3. de Offic.*

Nam plerumque bonorum, malorumque cauſæ ſub diverſa ſpecie latent. *Plin. Paneg.*

Et finitima ſunt falſa veris: *Cic. 4. quæſt. Acad.*

Et mala ſunt vicina bonis: errore ſub illo
Pro vitiis virtus crimina ſæpe tulit. *Ovid. 1. Remed.*

Sed ſæpius pro bonis mala amplectimur; *Sen. ep. 45.*

Et

Decipimur ſpecie recti. *Horat. Art. Poët.*
Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & umbra. *Juv. Sat. 14.*

Nam ſunt virtutibus vitia confinia, & perditis quoque, ac turpibus recti ſimilitudo eſt. *Sen. ep. 120.*

Hinc vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet; moderatio vocatur ignavia. *Idem ep. 45.*

Publ. Timidus vocat ſe cautum, parcum Sordidus ;

Sen. ep. 120. *Et* mentitur prodigus liberalem.

Saluſt. Catil. Etiam bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur.

Idem ep. 45. In his magno periculo erratur, in his igitur certas notas imprime.

Idem 1. de Clem Nam vitia virtutes imitantia non poſſunt ſecerni, niſi ſigna quibus dignoſcantur impreſſeris.

Id ubi non fit:

Horat. Sat. Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

P*Rincipis quoque prudentis eſt in primis famam non negligere.*

Tacit. 4. Annal. *Siquidem* cæteris mortalibus in eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere putent. Principum diverſa ſors eſt, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda :

Idem 11. Annal. *Nam* non minùs fama, quàm vi, ſtant res Principium :

Plin. Paneg. *Vt autem* quis factus eſt Princeps, extemplo fama ejus, incertum bona, an mala, cæterum æterna eſt.

Non ergo perpetua Principi fama, quæ invitum manet, ſed bona concupiſcenda eſt.

Et

Et ſane maxime illis cavendum eſt, qualem famam habeant, qui qualemcunque meruerint magnam habituri ſunt.

Homines enim ut metuant, aut oderint non minus opinione & fama, quàm certa aliqua ratione moventur. *Cic. pro lege Man.*

Unde inviſum ſemel Principem ſeu bene, ſeu male facta premunt. *Tacit. 1. hiſt.*

Ac privatis quidem hominibus ſatis eſt nihil delinquere: Principibus ne quidem ſuſpectis eſſe licet. *Livia ad Auguſt. apud Sueton.*

Et ut in facie plus offendit nævus; aut verrucula, quàm in reliquo corpore grandes maculæ, aut cicatrices: ſic exigua delicta magna videntur in Principe, cujus vita in conſpicuo eſt. *Plutarc. in Mor.*

Illi *enim* non magis quàm Soli latere contingit. *Sen. 1. de Cle.*

Et habet hoc primum magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur. Principum vero non modo domos, ſed cubicula ipſa, intimoſque receſſus recludit, omniaque arcana noſcenda famæ proponit, atque explicat. *Plin. Paneg.*

Ibid. *Vnde* nullus locus, nullum eſt tempus, quo funeſtorum Principum Manes à poſterorum execrationibus conquieſcant.

Contrà contemptor ambitionis, & infinitæ poteſtatis domitor, ac frænator animus ipſa vetuſtate floreſcit.

Ovid. 2. Faſt. Et memorem famam, qui bene geſſit, habet.

PRudentiam vero gignunt uſus, & memoria. Quare in eam recte quadrat illud:

Affran. Uſus me genuit, mater peperit memoria.

Ariſtot. 6. Eth. Rerum *enim* ſingularum prudentia eſt, quæ notæ homini per uſum fiunt.

Plin. lib. 26. Itaque uſus efficaciſſimus rerum omnium magiſter.

Ibid. *Et* experimentis optimè creditur.

Cic. 1 de Offic. Nec *enim* Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum ſine uſu, & exercitatione conſequi poſſunt.

Uſu *enim* ratio ſplendeſcit, quo pacto æs uſibus niteſcit. *Plut. de gerend. Rep.*

Sed ætas uſum denique affert, *Cic. 2. de Orat.*

Et

—Seris venit uſus ab annis *Ovid. 6. Metam.*

Unde juvenes prudentes eſſe non poſſunt, quia prudentia requirit experientiam, quæ tempore indiget. *Ariſt. 6. Eth.*

Temeritas eſt videlicet florentis ætatis: prudentia ſenectutis. *Cic. de Sen.*

Itaque conſilia ſenum, haſtæ juvenum ſunt. *Plutar.*

Illis *enim* corpus annis infirmum; ingenium ſapientia validum eſt. *Saluſt. Catil.*

Hi *vero* molles, & ætate fluxi dolis haud difficulter capiuntur. *Ibid.*

Nam *Ovid 3. Faſt.*

—— Juvenilibus annis
Luxuriant animi——

Et juvenile vitium eſt, regere non poſſe impetum. *Sen. Troad.*

Suo tamen judicio ſtatim ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia. *Plin. 8. epiſt. 23*

Sed adoleſcentis hæc præcipua prudentia eſt, ut alios prudentiores arbitretur; hæc præcipua eruditio, ut diſcere velit. *Ibid.*

Ita verò faciet, ſi ex oraculi monito ſeipſum norit. *Apollinis.*

Ll ij

Apud Stob. Ser. 21. Quod difficillimum eſſe aiebat Chilon: unumquemque enim multa ex cæco ſui amore ſibi attribuere.

Thucid. *Certe quidem* inſcitia audaciam, prudentia timiditatem gignit.

Eraſm. Apopht. Bona *vero* eſt timiditas, quæ deterret à turpibus, & reddit hominem circumſpectum.

Cic. de Amic. *Atqui* cum ad gubernacula Reip. temerarii atque audaces homines accedunt, maxima & miſerrima naufragia fiunt.

Cic. 1. de Offic. Itaque eſt adoleſcentis majores natu revereri, exque iis deligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio & authoritate nitatur.

Ineuntis enim ætatis inſcitia, ſenum conſtituenda & regenda eſt prudentiâ.

Eurip. Nam Princeps fit ſapiens ſapientium commercio.

Cic. pro Clu. Sapientiſſimum autem eſſe dicunt eum, cui quod opus ſit ipſi veniat in mentem: Proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet:

Liv. 22. Cæterum qui nec ipſe conſulere,

nec alii parere ſcit, eum extremi eſſe ingenii.

Præſertim autem pareat patri, ac iis quorum cura, ac prudentia regi debet.

Nam nemo regere poteſt, niſi qui & regi. *Sen. 2. de Ben.*

Et liberius verum ei dicentes libenter audiat: *Plin. 7. ep. 20.*

Neque enim ulli patientius reprehenduntur, quàm qui maxime laudari merentur. *Ibid.*

Et admoneri bonus gaudet: Peſſimus quiſque correptorem aſperrime patitur. *Sen. 2. de Ben.*

Denique perſuaſum illi ſit, quod

Nunquam ita quiſquam bene ſubdita ratione ad vitam fuit, *Terent. Adelph.*
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi;
Aliquid moneat, ut ea, quæ te ſcire credas, neſcias,
Et quæ tibi putaris prima in experiundo repudies.

Proinde ex aliis periculum facito tibi quod ex uſu fiet. *Idem.*

Nam feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit. *Plaut.*

Et ex vitio alterius ſapiens emendat ſuum.

M*EMORIAM*, *alteram Prudentiæ parentem, præcipue inſtruit ac ornat Hiſtoria: quæ etiam & ad reliquas virtutes plurimum confert. Virumque præſtant & aliæ literæ, præſertim Philoſophicæ: quas, una cum Hiſtoria, non ii tantum qui in ſchola, ſed etiam qui in Aula, & Republica maxime floruerunt, & cum illis clariſſimi Principes ſuffragijs ſuis Principi commendant.*

Cic. 2. de Orat. *Eſt autem Hiſtoria* vita memoriæ.

Ibidem. *Et* lux veritatis, ac Magiſtra vitæ.

Idem pro Arch. Poët. Exempla enim omnia jacerent in tenebris, niſi literarum lumen accederet.

Liv. lib. 1. *In Hiſtoria vero* hoc præcipue ſalubre, ac frugiferum; omnis te exempli documenta in illuſtri poſita intueri; ut inde tibi, tuæque Reip. quod imitere capias; Inde fœdum incæptu, fœdum exitu, quod vites.

Baſil. Imper. Princip. Leoni filio *Itaque* per hiſtorias veteres ire ne recuſa: ibi enim reperies ſine labore quæ alii cum labore collegerunt, atque

illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia; vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea converſiones, mundi hujus inſtabilitatem, & Imperiorum præcipites caſus, & (ut verbo complectar) malorum facinorum pænas, & bonorum præmia: quorum illa fugies, ne in divinæ juſtitiæ manus incidas, hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.

Pauci *enim* prudentia honeſta à deterioribus, utilia à noxiis diſcernunt: plures aliorum eventis docentur. *Tacit 4. Annal.*

Verum ex hiſtoria non modo caſus eventuſque rerum, qui plerumque fortuiti ſunt, ſed ratio etiam, cauſæque noſcantur *oportet.* *Il. 1. hiſt.*

Nam quemadmodum Medici nihil prodeſſe ægrotantibus poſſunt, ſi morborum cauſas ignorant: ita qui circa res geſtas verſantur omni prorſus utilitate carent, niſi & loci, & temporis, & cauſarum, omniumque occaſionum ratio conſtet. *Polib. l. 3*

P*orro qui ita nati ſunt*, ut bona, malaque eorum ad Remp. pertineant, *Tacit. 4. Annal.*

Liv. lib. 1. Erudiantur artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur.

Saluſt. Iugurt. *Nam* inter artes bonas integrum ingenium brevi adoleſcit.

Veget. *Et* profectò nullus eſt, quem oportet plura, vel meliora ſcire, quàm Principem, cujus doctrina debet omnibus prodeſſe ſubjectis.

Suet. Nero *A page Agrippinam illam, quæ filium* à Philoſophia arcuit, monens Imperatori contrariam eſſe.

Tacit. 13. Annal. *Ex hac diſciplina* Nero puerilibus ſtatim annis vividum animum in alia detorſit; cælare, & pingere, cantus, aut regimen equorum exercere.

Cæterum

Virg. 6. Aeneid. Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Cic. 1. de Fin. *Igitur* non paranda tibi ſolum, ſed fruenda ſapientia eſt:

Tacit. 4. hiſt. Haud ut nomine magnifico ſegne otium veles; ſed quò firmior adverſum fortuita Remp. capeſſas.

Plin. Paneg. *Quamobrem* diu penitus perdiſcas quæ mox præcipere debeas.

Pl. 6. ep. Multum *vero* tibi legendum; ſed non multa.

Nam ut non ij qui plurimum comedunt & exercentur, melius valent ijs qui modice : ita non qui plurima, ſed qui utiliſſima legerint docti cenſendi. *Ariſtot. in Laert.*

Et ſane qui fructuoſa, non qui multa ſcit, ſapit. *Aeſchil.*

Fructuoſam *autem* eſſe Philoſophiam oſtendit Philippus, Alexandrum filium monens, ut auſcultaret Ariſtoteli, cui traditus erat inſtituendus, daretque operam Philoſophiæ; Ne, inquit, multa cōmittas, quæ me feciſſe nunc pœnitet. Perſpexit egregius Princeps neminem Philoſophiæ expertem regno idoneum eſſe : *Plut. in Apophth. regum & Imper.*

Nec puduit fateri, ſe multa per errorem feciſſe perperam, quòd à teneris unguiculis Philoſophiæ præceptis non fuiſſet imbutus. Nam qui experimentis diſcunt adminiſtrare regnum, licet ingenio feliciſſimo nati ſint, tamen & ſero, & magno Reip. malo tandem evadunt boni Reges. At qui Philoſophiæ præceptis præmunitus accedit, ſi adſit mens integra, vix poterit ab honeſto deflectere.

Filius *vero* hujus Alexander profeſſus eſt ſe malle doctrina anteire reliquos, quam opibus, & dignitate. *In ep. ad Ariſt.*

Et Alphonſus Rex optimos conſiliarios eſſe mortuos dicebat; libros videli- *Panor. li. 3. de rebus geſt. Alph*

cet deſignans ; à quibus ſine metu, ſine gratia, quæ noſſe cuperet fideliter acciperet.

Eraſm. Apophth. *Idem* audiens Regem quendam dixiſſe, non decere principes viros ſcire literas; exclamavit, eam vocem bovis eſſe, non hominis: non enim ignoravit quantum proſit imperanti artibus liberalibus, ac Philoſophiæ ſtudiis probe eſſe inſtructum.

CAPUT V.

DE IVSTITIA.

R*Ege digniſsima virtus eſt.* Juſtitia, omnium Domina, & Regina virtutum. *Cic. 3. de Offic.*

Nam fruendæ Juſtitiæ cauſa olim bene morati Reges conſtituti ſunt. *Idem 2. de Offic.*

Et ſane quale pulcherrimum in cælo ſimulachrum ſui Deus ſolem, atque lunam infixit: tale in civitatibus ejus exemplum eſt atque lumen Princeps: *Plutarch. de Doct. Princ.*

Jura Dei ſimilis qui dat mortalibus æqua:

Illi *autem* Juſtitia omni ratione retinenda, & colenda eſt, tum ipſa per ſe-ſe, tum etiam propter amplificationem honoris & gloriæ. *Cic. 3. de Offic.*

Fundamentum *enim* perpetuæ commendationis & famæ Juſtitia eſt: ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. *Ibidem.*

Et in Juſtitia virtutis ſplendor eſt maximus; ex qua boni viri nominantur. *Idem. 1. de Offic.*

Auguſt. apud Sen. in Lud. *Etiam* pietate, & Juſtitia Principes Dii fiunt.

Iuſtit. Inſt *Definitur autem* Juſtitia conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuendi.

Cic. 2. Parad. *Ac primum quidem cum* jus, & æquitas ſint vincula civitatum.

Cic. 1. de Offic. Omnino qui Reipub. præſunt duo Platonis præcepta teneant; unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quicquid agant ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, ut totum corpus Reip. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant.

Senec. 1. de Clem. *Et profecto bonus Princeps*, cui curæ ſunt univerſa, quanquam alia magis, alia minus tuetur, nullam non Reip partem tanquam ſui nutrit.

Ibidem. *Debet igitur* commoda civium non divellere: atque omnes eadem æquitate continere;

Idem 2. de Offic. *Et* ſummos cum infimis pari jure retinere;

Plut. in Sol. *Neque committere, ut* leges ſint aranearum telis ſimiles, in quibus infirmiora animalia hæreant, cum eaſdem valentiora perrumpant:

Aut ut quæratur.

Petron. Quid faciant leges, ubi ſola pecunia regnat;

Aut ubi Paupertas vincere nulla poteſt.

I*Am verò quia* duabus potiſſimum rebus continetur Reſp. præmio ſcilicet, & pœna: *Cic. in Epiſt. ad Brut.*

Legibus propoſita ſunt ſupplicia vitiis; præmia virtutibus. *Ibid. 2. de Orat.*

Quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas? *Iuven. Sat. 10.*

Nam langueſcit induſtria, intenditur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes. *Tac. 2. Annal.*

Itaque ſub juſto Principe non benefactis tantum ex conſcientia merces, ſed etiam præmia ſunt. *Plin. Paneg.*

Præmia *vero* bonorum malorumque bonos ac malos faciunt. Pauci adeo ingenio valent, ut non turpe honeſtumque, prout bene, aut ſecus ceſſit, expetant, fugiantve. Cæteri, ubi laboris inertiæ, vigilantiæ ſomno, frugalitatis luxuriæ merces datur, eadem, iſta quibus alios artibus aſſecutos vident, conſectantur, qualeſque ſunt illi, tales eſſe & videri volunt, & dum volunt fiunt. *Ibidem.*

Nam perinde omnes res laudantur atque appetuntur, ut earum uſus *Saluſt. ad Cæſ.*

eſt. Malitia præmiis exercetur: Ubi ea dempſeris, nemo omnium gratuito malus eſt:

Ibid. *Et* ubi malos præmia ſequuntur, haud facile quiſquam gratuito bonus eſt

Et

Ovid. 1. de Pont. Ipſe decor recti, facti ſi præmia tollas,
Non movet; & gratis pœnitet eſſe probum.

P lin. Paneg. *At* omnium quidem beneficiorum, quæ merentibus tribuuntur, non ad ipſos magis gaudium, quàm ad ſimiles redundat.

Plut. de vitioſ. Pudent. Ob verecundiam *autem* hominibus perfrictæ frontis nihil meritis non gratificari opus eſt juſtum, ac rectum, & quidem prudentis.

Cic. 2. de Offic. ADhibenda eſt etiam Reip. cauſa ſeveritas, ſine qua adminiſtrari civitas nulla poteſt.

Dion. Nerv. Malum eſt *quidem* Principem habere, ſub quo nihil ulli liceat: pejus vero eum, ſub quo omnia omnibus.

Cic. ad Brut. Ep. 10. *Siquidem* ſalutaris ſeveritas vincit inanem ſpeciem clementiæ.

Idem 3. Act. in Verr. *Et* unius improbi ſupplicio multorum improbitas coërcetur.

Digitum præcidi oportet, ſi ob eam rem grangræna non ſit ad brachium ventura. *Var. in Frag.*

Et

— Immedicabile vulnus.
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur. *Ovid. 1. Met.*

Ne corporis quidem morbos veteres, & diu auctos, niſi per dura & aſpera coërceas. Corruptus ſimul & corruptor, æger, & flagrans animus haud levioribus remediis reſtinguendus eſt, quàm libidinibus ardeſcit. *Tacit. 3. Annal.*

Cave igitur ne, dum ignoſcis malis, bonos perditum eas. *Saluſt. Iug.*

Etiam qui uni improbo parcit, multis bonis minatur. *Pub.*

Et maxima illecebra peccandi eſt impunitatis ſpes. *Cic. pro Mil.*

Itaque haud patiendum licentiam ſcelerum, quaſi rabiem, ad integros procedere. *Saluſt. Iug.*

SEd *in ſeveritate modus adhibeatur*, *nam* crudeles ſunt, qui puniendi cauſam habent, modum non habent. *Senec. 2. de Clem.*

Talis Sylla, cujus

Omnis *autem* animadverſio, & caſtigatio contumelia vacare debet, neque ad ejus qui punit aliquem, aut verbis caſtigat, ſed ad Reip. utilitatem referri. *Cic. 2. de Offic.*

Cavendum eſt etiam, ne major pœna, quàm culpa ſit: & ne iiſdem de cauſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. *Ibid.*

Prohibenda *autem* maxime eſt ira in puniendo, nunquam enim iratus qui accedet ad pœnam mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium & parum. *Ibid.*

Optandum itaque, ut ii qui præſunt Reipublic. legum ſimiles ſint, quæ ad pnniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur. *Ibid.*

In vindicandis *autem* injuriis lex eſt, ut hæc tria Princeps conſideret; aut ut eum quem punit emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores teddat; aut ut, ſublatis malis cæteri ſecuriores vivant. *Senec. de Clem.*

Cæterum Princeps ad crudeles pœnas, aut acerba judicia non invocandus; quibus civitas vaſtatur magis, quam corrigitur; ſed ut pravas artes, malaſque libidines à juventute probibeat. *Saluſt. ad Cæſ.*

Mm

Idem in Iugur. *Nam boni Principis eſt* prohibere à delictis magis, quàm vindicare.

Xenoph. ad Hier. Principi *vero*, ubi res pœnarum, aut coërcitionis eſt, id aliis delegandum; ubi præmiorum aut munerum, ipſi obeundum.

Cic. ad Quint. Fr. M*Alis autem* nihil crediderit, nullam exiſtimationis ſuæ partem commiſerit.

Taci. Agric. Melius *enim* Officiis, & adminiſtrationibus non peccaturos præficere, quàm damnare, cum peccaverint.

Cic. ad Quint. Fr. *Itaque* eſt illi circumſpiciendum diligenter, ut non ſe unum, ſed omnes miniſtros Imperii ſui civibus, & Reip. præſtet.

Tacit. 3. Annal. *Nam* cum recte factorum gratiam ſibi quiſque trahat, unius Principis invidia ab omnibus peccatur.

Lampr. in Alex. Melior *autem* eſt, & prope tutior Reſp. in qua Princeps malus eâ in qua mali Principis miniſtri.

Ibidem. *Siquidem* unus malus poteſt à pluribus bonis corrigi: multi autem mali non poſſunt ab uno quantumvis bono ſuperari.

Tacit. 4. Annal. *Itaque* res tuas ſpectatiſſimis mandes.

Non iis quibus avaritia cæcis omnia honeſta, atque inhoneſta vendere mos eſt. *Saluſt, Iug.*

Aut qui pecuniis acerbe conquirendis plus invidiæ tibi, quàm virium addant. *Tacit. 3. hiſt.*

Et præter imperatas pecunias privato commodo ſerviunt. *Caſ. 5. de bel. civ.*

Prædamque in ſinum ſuum conferunt, *Lampr. Com.*

Laverniones:

Quibus pro ſpongiis dicebatur uti Veſpaſianus, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes. *Feſt. Suet. Veſp.*

TV *vero, Princeps*, fac ut ſit libera, nec ſollicita rei ſuæ cuique cuſtodia. *Cic. 1. de Offic.*

Nam ſubditi dilectum, & tributa, & injuncta Imperii munera impigre obibunt, ſi injuriæ abſint. *Tacit. Agric.*

Hinc olim nullus terror, cum omnia bello arderent, fide Romanorum ſocios dimovit, videlicet quia juſto moderatoque Imperio regebantur. *Liv. 22.*

Sed pacem populi nonnunquam exuunt rectorum magis avaritiâ, quam obſequii impatientes. *Taci. 6. Annal.*

Vnde Batto roganti Tiberio, quare *Dion. l. 55.*

ab imperio defeciſſent Illyrii reſpondit: Quia ad greges veſtros non canes, aut aut paſtores, ſed lupos mittitis.

Tiber. apud Suet. *Itaque & rectores hos Princeps moneat, & meminerit ipſe*, boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere.

Apud Lampr. Et *Alexandrum Severum audiat dicentem*: Hortulanum odi, qui à radice olera exſcindit.

Cic. ad Quint. Fr. *Sciatque* huc omnia eſſe referenda ab iis, qui præſunt aliis, ut qui eorum in Imperio erunt, ſint quam beatiſſimi: eſſeque non modo ejus qui liberis, & civibus, ſed etiam ejus qui ſervis, qui mutis pecudibus præſit, eorum quibus præeſt commodis, utilitatique ſervire.

Tacit. 11. An. Q*Vamobrem* ne dominationem, & ſervos, ſed rectorem, & cives Princeps cogitet, clementiampue, & juſtitiam capeſſat.

Idem 4. Annal. Nec illi utendum imperio, ubi legibus agi poſſit.

Idem 11 Annal. Et nihil in penatibus venale, aut ambitioni pervium habeat.

Ibid. Nullis etiam diſcordiis imbutus pari in omnes ſtudio agat.

Vell. *Nec ſit quales ii*, qui magnitudinem

fortunæ ſuæ peccandi licentia metiuntur, quicquid libet pro licito judicantes.

Quibus impune quælibet facere, id eſt Regem eſſe: *Saluſt. Iug.*

Et qui diutina licentia & injuria, quaſi jure & æquo, nituntur. *Tacit. 4 Annal.*

Sed intelligat, quod qui magno Imperio præditi in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novêre. Ita in maxima fortuna minima licentia eſt. *Saluſt. Catil.*

Sed cui plus licet, quam par eſt, plus vult quam licet. *Publ.*

Tyrannicum illud: licet, ſi libet. *Spart.*

Regium hoc: minimum libere debet cui multum licet. *Carac. Sen. Troad.*

Tu vero, P*rinceps*, etiam atque etiam memineris non ſolum quantum tibi commiſſum ſit, ſed etiam quatenus permiſſum. *Cic. pro Rab.*

Et ſis *Lucan. 2.*

Juſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti;
In commune bonus. *Claud.*
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit.
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Paneg. Theod. Et *Theodoſium imitare, de quo Panegyriſtes.* Idem es qui fuiſti: & tantum tibi per te licet, quantum per leges antea licebat. Jus ſummum facultate & copia commodandi, non ſecuritate peccandi experiris.

Mæcen. ad Auguſt. in Dion. D*enique*, ſi omnia quæ alium quemvis Imperantem in te facere velles, ea ipſe tua ſponte feceris: nec peccabis quidpiam, & omnia rite diriges, & vitam ex eo jucundiſſimam ſimul, & tutiſſimam vives.

CAPUT VI.

DE CLEMENTIA.

VT Princeps Iuſtitiæ laudem conſequatur, eandem neceſſe eſt temperet clementia. *Dioclet. apud Pomp. Lat.*

Nam juſtitia, àqua clementia abeſt, crux eſt.

Definitur autem clementia, temperantia animi in poteſtate ulciſcendi: *Senec. 2. de Clem.*

Vel lenitas ſuperioris adverſus inferiorem in conſtituendis pœnis, etiam & remittendis. *Ibid.*

Hæc docet, ut pœnis hominum, vel ſanguine paſci *Claud. 2. Stilic.*
Turpe ferumque putes; ut ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas, ut non infenſus alendis
Materiem præſtes odiis; ut ſontibus ultro
Ignoviſſe velis; deponas ocius irã,
Quàm moveas; precibus nunquam implacabilis obſtes;

Digitized by Google

Obvia proſternas, proſtrataque more leonum.
Deſpicias.

Senec. 1. de Clem. *Eſt quidem* Clementia omnibus hominibus ſecundum naturam, maxime tamen decora Imperatoribus, quantò plus habet apud illos, quod ſervet.

M. Ant. in Vulc. Gal. *Vnde* nihil eſt quod Imperatorem melius gentibus commendet, quàm Clementia.

Senec. 1. de Clē. *Et* ſervare proprium eſt excellentis fortunæ.

Cic. pro Marcel. *Nam* nihil habet alicujus fortuna melius, quam ut poſſit, nec natura, quàm ut velit ſervare plurimos.

Sen. 1. de Clē. Ita *enim* vires magnis viris decori, gloriæque ſunt, ſi illis ſalutaris potentia eſt. Nam peſtifera vis eſt valere ad nocendum.

Ibid. *Et* nullum ornamentum Principis faſtidio dignius, pulchriuſque eſt quàm illa corona ob cives ſervatos.

Cic. pro Ligar. Nec ulla re propius homines ad Deum accedunt, quàm ſalute hominibus danda.

Enimvero

Sen. Octav. Pulchrum eſt eminere inter illuſtres viros,

Conſulere

Conſulere Patriæ; parcere afflictis; fera
Cæde abſtinere; tempus atque iræ dare;
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo;
Hæc ſumma virtus: petitur hac Cœlum via.

P*Ræterea* Clementia non tantum honeſtiores, ſed etiam tutiores præſtat; ornamentumque Imperiorum eſt, ſimul & certiſſima ſalus. *Senec.* 1. *de Cl.*

Nam unum eſt inexpugnabile munimentum, amor civium: *Ibid.*

Et profectò

Non ſic excubiæ, non circumſtantia pila,
Quàm tutatur amor. *Claud. ad Honor.*

Et firmiſſimum eſt illud imperium, quo obedientes gaudent. *Liu.* 8.

Etiam magnum timoris remedium eſt clementia. *Sen. Octav.*

Contrà verò

Qui terret, plus ipſe timet. *Claud.* 4. *Conſ. Honor.*

Nam neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent. *Macrob. Sat.* 7.

Tantumque neceſſe eſt timeat, quantum timeri voluit, & manus omnium obſervet, & eo quoque tempore, quo *Senec.* 1. *de Clem.*

non captatur, peti ſe judicet; nullumque momentum à metu immune habeat.

bidem. Malus autem Princeps inviſus eſt quia timetur; & timeri vult, quia inviſus eſt.

acit. Agric. *Sed* metus ac terror infirma ſunt vincula caritatis: quæ ubi removeris, qui timere deſierint, odiſſe incipient.

ic. 1. de ffic. *Et* nulla vis Imperii tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna.

bidem. *Nam* quem metuunt, oderunt: & quem quiſque odit periiſſe cupit.

en.ep.4. Quiſquis *autem* vitam ſuam contempſit, tuæ dominus eſt.

apit. in Laxim. *At* cave multos, ſi ſingulos non times.

Plin. Paneg. Fruſtra *enim* ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus caritate non fuerit.

en. 6.de ra. Nec poteſt diu quæ multorum malo exercetur potentia ſtare.

allust. ad Caeſ. Et quidem ego cuncta Imperia crudelia magis acerba, quàm diuturna arbitror: neque quenquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidet: Eam vitam bellum æternum & anceps gerere, quoniam neque

adverſus, neque à tergo, aut lateribus tutus ſis; ſemper in metu ac periculo agites: Contrà, qui benignitate ac Clementia Imperium temperavere, his candida & læta omnia fuiſſe, etiam hoſtes æquiores, quàm aliis cives.

Itaque malus eſt cuſtos diuturnitatis metus: contraque benevolentia fidelis eſt vel ad perpetuitatem. *Cic. 2. de Offic.*

NEc ad incolumitatem ſolum, ſed etiam ad opes & potentiam valet plurimum, ut metus abſit, caritas retineatur. *Ibidem.*

Longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor. *Plin. 8. ep. 24.*

Nam

—— Peragit tranquilla poteſtas
Quod violenta nequit: mandataque fortius urget
Imperioſa quies. *Claud. Paneg. Malii.*

Unde reipſa reperi facilitate nihil homini eſſe melius, atque clementia. *Terent. Heaut.*

Quamobrem

Qui vult amari, languida regnet manu:
Inviſa nunquam Imperia retinentur diu. *Sen. Theb.*

Sen. 1. de Cl. Clementia *vero* in quamcumque domum pervenerit, eam felicem tranquillamque præſtabit; ſed in Regia quò rarior, eo mirabilior.

Ibidem. Et excogitare quicquam nemo poterit, quod magis decorum regenti ſit quam clementia.

Ibidem. NEc tamen promiſcuam habere, ac vulgarem Clementiam Principem oportet.

Ibidem. *Nam* tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt quam nulli.

Ibidem. *Itaque* adhibenda eſt moderatio, quæ ſanabilia ingenia diſtinguere à deploratis ſciat.

Ibidem. Sed ſi quando miſſo ſanguine opus eſt, ſuſtinendum eſt, ne ultra quam neceſſe ſit incidas.

Ibidem. Nam non minus turpia ſunt Principi multa ſupplicia, quam medico multa funera.

Ibidem. Frequens autem vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.

Tac. 15. Annal. *Et* quanquam adverſus ſontes, & extrema meritos, miſeratio tamen oritur, tanquam non utilitate publica, ſed in ſævitiam unius abſumantur.

Tacit, Agr. *Debet igitur Princeps*, parvis pec-

catis veniam, magnis ſeveritatem commodare; nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contentus eſſe.

Et efficere, ut pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat. *Cic. pro Clu.*

Melius *enim* ſanare vitioſas partes, quàm exſecare. *Idem 1. ad Attic. ep. 5.*

Quoſdam pudor, alios neceſſitas nonnullos ſatias in melius mutet. *Tacit. 5. Annal.*

Denique legum præſidem, civitatiſque Rectorem decet, quandiu poteſt, verbis & his mollioribus ingenia curare; ut facienda ſuadeat, cupiditatemque honeſti & æqui conciliet animis: faciatque vitiorum odium, pretium virtutum: Tranſeat deinde ad triſtiorem orationem; quæ moneat adhuc, & exprobret. Noviſſimè ad pœnas, & has adhuc leves, & revocabiles decurrat: Ultima ſupplicia ſceleribus ultimis ponat: ut nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit. *Sen. 1. de ira.*

Nullum *enim* animal moroſius eſt, nullum majori arte tractandum, quàm homo; nulli magis parcendum. Quid enim ſtultius, quàm in jumentis quidem & canibus erubeſcere iram exercere, peſſima autem conditione hominem eſſe? *Senec. 1. de Clem.*

Ibidem. *Sane* temperatus timor cohibet animos. Aſſiduus verò, & acer, & extrema admovens in audaciam jacentes excitat, & omnia experiri ſuadet.

Ibidem. *Contra* verecundiam peccandi facit ipſa clementia Regentis.

Ibidem. Et remiſſius imperanti melius paretur.

Nam

Ovid. 2. de Art.
Dextera præcipue capit indulgentia mentes:
Aſperitas odium, ſævaque bella movet.

Etiam

Idem 2. de Pont.
Conveniens homini eſt hominem ſervare voluptas:
Et melius nulla quæritur arte favor.

Sen. 1. de Cl. TAmetſi *verò* difficilius ſit moderari, ubi dolori debetur ultio, quàm ubi exemplo.

Tac. 4. Annal. Lentus tamen in ſuo dolore ſit Princeps.

Senec. 1. de Clem. Longeque ſit in ſuis, quàm in alienis exorabilior injuriis.

Ibidem. *Nam* quemadmodum non eſt magni animi, qui de alieno liberalis eſt, ſed ille qui quod alteri donat ſibi detrahit: ita Clementem vocabo non in alieno do-

lore facilem, ſed qui, cum ſuis ſtimulis exagitetur, non proſilit; qui intelligit magni eſſe animi injurias in ſumma potentia pati; nec quicquam eſſe glorioſius Principe impune læſo.

Qui voluit te lædere deprehenſus eſt? Jam nocere tibi non poteſt: prodeſſe famæ tuæ poteſt. *Ibidem.*

Pœnam *igitur*, ſi tuto poteris, donabis; ſin minus, temperabis. *Ibidem.*

Sane præcipua laus eſt manſuetudinis, cum iræ cauſa juſtiſſima eſt. *Plin. 9. ep. 21.*

Et cui ultio in facili eſt, is, omiſſa ea, certam laudem manſuetudinis conſequitur. *Senec. 1. de Clem.*

Auguſtum imitare, qui contumelias quoque ſuas, quæ acerbiores Principibus ſolent eſſe quam injuriæ, nulla crudelitate exequebatur, & probroſis in ſe dictis arriſit. *Senec. 1. de Clem.*

Idque prudenter: nam convitia, ſi iraſcare, agnita videntur: ſpreta exoleſcunt. *Tac. 4. Annal.*

Et de nullo minus Principe queruntur homines, quàm de quo maxime licet. *Plin. Paneg.*

Certe quidem magnam fortunam magnus amimus decet. *Senec. 1. de Cl.*

Magni autem eſt animi proprium, *Ibidem.*

placidum eſſe, tranquillumque, & injurias atque offenſiones ſupernè deſpicere;

Etiam & hoſtium: Namque

——— Ignoſcere pulchrum
(ud.) Jam miſero; pœnæque genus vidiſſe precantem.

Et ſane

(vid. 3. Triſt. 5.) Quo quiſque eſt major, magis eſt placabilis iræ:
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni:
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At Lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

(ac. 11. nnal.) Quanta *igitur* pervicacia in hoſtem, tanta beneficentia adverſus ſupplices utendum.

(dem.) Et bellorum egregii fines, quoties ignoſcendo tranſigitur.

Regium enim eſt,

(irg. 6. En) Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos:

(aluſt.) Neque victis quicquam, præter inju-

riæ licentiam, eripuiſſe. *Iugurt.*

Uti *enim* animoſe debes tanto mu- *Sen.1.* nere Deorum, dandi, auferendique vi- *de Cl.* tam potens.

Et in ſecundis rebus nihil in quen- *Liv.45.* quam ſuperbe, ac violenter conſulere decet, nec præſenti credere fortunæ: cum, quid veſper ferat, incertum ſit.

CUm autem puniendi ſunt rei, tan- *Sen.1.* quam invitus, & magno cum tor- *de Cl.* mento ad caſtigandum venias.

Nec tam ut ipſi pereant, quàm ut alios *Ibid.* pereundo deterreant.

Nam

Qui fruitur pœna ferus eſt, le- *Claud.*
gumque videtur *in*
Vindictam præſtare ſibi. *Conſ.*
Manl.

Ergo

Sit piger ad pœnas Princeps, ad *Ovid.1.*
præmia velox, *de*
Quique dolet, quoties cogitur eſſe *Pont.*
ferox. *El. 3.*

Qualis Auguſtus, quem dare pœnas *Sen.1.de* apparebat; cum exigeret. *Clem.*

Et Veſpaſianus, qui neque cæde cu- *Suet.* juſquam lætatus juſtis ſuppliciis illa- *Veſp.* chrimavit etiam, & ingemuit.

*Sen.*1.*de Clem.* Quamobrem non decet Regem ſæva & inexorabilis ira.

Ibidem. *Nam* nulla Regi gloria eſt ex ſæva animadverſione ; Quis enim dubitat poſſe ? At contra maxima , ſi vim ſuam continet , ſi multos iræ alienæ eripuit , neminem ſuæ impendit.

*Cic.*2.*de Orat.* *Et* nihil eſt tam Regium , tam liberale,tamque munificum, quàm opem ferre ſupplicibus , excitare afflictos , dare ſalutem , liberare periculis homines.

*Sen.*1.*de Clem.* Nunquam enim Princeps magis ſuſpici debet , quam cum illi contingit idem poſſe , quod Diis : quorum beneficio in lucem edimur tam boni , quàm mali.

Ibid. Itaque ſe talem eſſe civibus , quales ſibi Deos , velit.

In Suet. *Vt gratulari ſibi poſsit cum Auguſto dicente:*Benignitas mea me ad cœleſtem gloriam efferet.

Enimvero

Sen. Hercul. Fur. —— Quiſquis eſt placide potens ,
Dominuſque vitæ ſervat innocuas manus ,

Et incruentum, mitis, Imperium
regit,
Animæque parcit, longa permen-
ſus diu
Fælicis ævi ſpatia, vel cælum pe-
tit,
Vel læta, felix, nemotis Eliſij lo-
ca.

CAPUT VII.

DE FIDE.

Claud. 2 Stilic.

Huic Divæ germana Fides, eademque ſororis
Corde tuo delubra tenens, ſeſe omnibus actis
Inſerat: hæc doceat nullo liveſcere fuco;
Nunquam falſa loqui; nunquam promiſſa morari;
Inviſos odiſſe palam; non virus in alto
Condere, non lætam ſpeciem prætendere fraudi;
Sed certum, mentique parem componere vultum.
Occulto ſævire vetat; prodeſſe remittit.

Cic. 1. Offic. UT *autem Clementiæ ſoror*, ita Iuſtitiæ fundamentum eſt Fides.

Ibid. Fides *autem* appellata eſt, quia fiat quod dictum eſt.

Eſt *igitur* Fides dictorum, conventorumque conſtantia & veritas. *Ibid.*

Laudatur verò, & inter maxima humani generis bona fides colitur. *Sen. 5. de Ben.*

—— Fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis. *Sil. l. 4.*

O fides alma apta pennis, & juſiurandum Iovis, *Enn. in Cic. 3. de Offic.*

Ante Iovem generata, decus divumque hominumque:
Qua ſine non tellus pacem, non æquora norunt:
Iuſtitiæ conſors; tacitumque in pectore Numen. *Sil. 2.*

Colendum eſt *itaque* venerabile hoc fidei Numen; quæ dextram ſuam ſalutis humanæ certiſſimum pignus oſtentat. *Val. l. 6. cap. 6.*

Quam Romani in Capitolio vicinam Iovis Opt. Max. eſſe voluerunt. *Cat. Cenſor.*

Apud eos enim juxta divinas religiones fides colebatur: *Liv. l. 9.*

Et *merito*, cum conſtaret favere pietati, fideique Deos, per quæ populus Romanus ad tantum faſtigii venerit. *Id. 44.*

Fides *enim* ſtabile, & æternum facit Imperium. *Curt. 8.*

Neque ulla res vehementius Remp. continet, quàm fides. *Cic. 3. de Offic.*

Saluſt. Iug. *Tibi vero*, *Princeps*, non exercitus, neque theſauri præſidia Regni ſunt, verum amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio, & fide parantur.

Auth. ad Her. *Itaque* fidem magnopere cenſemus conſervandam.

Cic. pro Roſ. *Nam* perfidioſum, & nefarium eſt fidem frangere, quæ continet vitam.

Ariſt.1. Rhet. *Siquidem* infirmatis, violatiſque pactis, tollitur inter homines commerciorum uſus.

Thucid. 4. IIs *autem* qui in dignitate ſunt, turpius fraude inhoneſta circumvenire, quàm lædere vi aperta.

Cic.1.de Offic. Nam fraus quaſi Vulpeculæ, vis Leonis videtur:

Idem.3. de Offic *Nihil vero minus* cadit in virum bonum quàm mentiri emolumenti ſui cauſſa, ctiminari, præripere, fallere.

Ibid. *Sunt autem* qui omnia recta & honeſta negligunt, dummodo potentiam conſequantur: *& cum Cæſare illud uſurpant*:

Ibid. Si violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Sed capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum ſolum, quod omnium ſceleratiſſimum fuerat, exceperit. *Ibidem.*

Itaque

—Ne rumpite fœdera pacis;
Nec Regnis poſtferte fidem. *Sil.* 2.

Nihil *enim* ſtabile quod eſt infidum. *Cic. de Amic.*

Quid eſt *autem* quod afferre tantum utilitas iſta, quæ dicitur, poſſit, quantum auferre; ſi boni viri nomen eripuerit, fidem juſtitiamque detraxexerit. *Cic.* 3. *de Offic.*

SED *quotus quiſque* dignus eſt, qui cum in tenebris mices? *Ibid.*

Nam paucis carior eſt fides quàm pecunia. *Saluſt. Iugur.*

Unde fides integra non manet, ubi magnitudo quæſtuum ſpectatur: *Tacit.* 11. *Annal.* *Vall. l.* 9.

E*t nimis multi* mendaciis ac fallaciis quaſi præclaris artibus, gaudent:

Quibus pactum non pactum eſt, nod pactum pactum, cùm illis lubet. *Plaut. Aul.*

Hos perfidos nunquam cauſſa deficiet, cur pacto non ſtent. *Liv. l.* 9.

Semperque aliquam fraudi ſpeciem juris imponunt.

Iuven. Sat. 13. ——Nec fraudem jure tueri
Iurando dubitant :

Cic. 3. de Offic. *Et* quovis effugio reperto, liberatos ſe eſſe jurejurando interpretantur.

Ibid. *Sed* fraus diſtringit, non diſſolvit perjurium.

Iſid. l. 2. de ſum. bon. *Et* Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ſic illud accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.

Cic. 3. de Offic. Qui *vero* putant nullam eſſe fidem, quæ infideli data ſit, videant ne quæratur latebra perjurio.

Publ. *Namque* etiam hoſti eſt æquus, qui habet in conſilio fidem.

Cic. 3. de Offic. *Et* fides juris-jurandi eſt cum hoſte ſervanda.

Cic. 1. de Offic. *Hinc* Regulus, cum retineretur à propinquis, & ab amicis, ad ſupplicium redire maluit, quam fidem hoſti datam fallere.

Itaque

Sil. l. 14. ——Optimus ille
Militiæ, cui poſtremum eſt, primumque tueri
Inter bella fidem :——

Saluſt. Iugurt. *Et* bono vinci ſatius eſt, quàm malo more injuriam vincere.

Nullum

Nullum *autem* vinculum ad aſtringendam fidem jurejurando majores arctius eſſe voluerunt : *Cic.* 3. *de Offic.*

Ergo qui juſiurandum violat, fidem violat. *Ibid.*

Quamobrem quod affirmate, quaſi Deo teſte, promiſeris, id tenendum eſt. *Ibid.*

Sed quærat forte quiſpiam,

Nullane perjuri capitis, fraudiſque nefandæ *Iuven. Sat.* 13.
Pœna erit?

Erit profecto : nam ;

Etſi quis primo perjuria celat : *Tibul.*
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Immo & interea, ſi exiſtimationem ſpectes, *Publ.*

Qui fidem perdit, nil poteſt ultra perdere.

Et famæ, *ac* fidei damna majora ſunt, quam quæ æſtimari poſſunt : *Liv.* 3.

Si conſcientiam ;

Heu quantum miſero pœnæ mens conſcia donat! *Lucan.* 7.

Pœna autem vehemens, & multo ſævior illis, *Iuven. Sat.* 13.

Quas & Cæditius, gravis invenit & Rhadamanthus,
Nocte, dieque ſuum geſtare in pectore teſtem

Plaut. Aul. *Quamobrem* cave fluxam fidem geras.

Euripid. *Sane* res pulchra eſt lingua, cui fiet fides.

Sen. Ep. 8. Et Fides ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſt: Nulla neceſſitate ad fallendum cogitur: nullo corrumpitur præmio.

Cic. 2. de Divin. Et vetat expectari fortunam, dum præſtatur, Fides.

Pub. Mim. Itaque probus quiſque dicet: malo mihi ſucceſſum deeſſe, quam fidem.

Enimvero

Ovid. ep. 12. Non bove mactato cæleſtia Numina gaudent;
Sed quæ præſtanda eſt, & ſine teſte fide.

CAPUT VIII.

DE MODESTIA.

Modeſtia, quæ definiri poteſt moderatum de ſe ſuiſque judicium in actione cum decoro elucens, quemvis hominem decet, in primis vero Principem.

Ille *enim* hoc magis excellit, atque eminet, quod unum ſe ex nobis putat: nec minus hominem ſe, quàm hominibus præeſſe meminit. *Pl. Pan.*

Sane honor & poteſtas, quæ ſuper homines quidem, hominum ſunt tamen. *Ibidem.*

Vnde recte præcipere videntur, qui monent, ut, quanto ſuperiores ſimus, tanto nos ſummiſſius geramus. *Cic. 1. de Offic.*

Nulli enim magnitudine magis carent, quam qui ſibi majeſtatem maxime vendicant. *Pl. Par.*

Et omnes, quos vecors animus ſupra cogitationes extollit humanas, altum quidem, & ſublime ſpirare ſe credunt.

Cæterum nihil ſolidi ſubeſt : ſed in ruinam prona ſunt quæ ſine fundamentis crevere.

Plut. de doct. Princ. Tales ſunt Principes amentes imitantes imperitos ſtatuarios , qui exiſtimant Coloſſos ſuos magnos fore , & venuſtos , ſi tibiis quam maxime diductis , & inflatos , & hiantes fecerint : ſic iſti gravitate vocis , & torvitate aſpectus, & morum aſperitate , & inſociabili quadam vita dignitatem , & majeſtatem Imperantum exprimere ſe cenſent.

Senec. 2. de Ben. Sed vana eſt hæc ſuperbiæ magnitudo , & quæ in odium etiam amanda perducat.

Ibid. *Et* quo altius te ſublevaſti , hoc depreſſio res : oſtendiſque te non agnoſcere iſta bona quibus tantum inflaris.

Sen. 1. de Ira. Multum vero intereſt inter ſublimem animum , & ſuperbum.

Nam mala ingenia terribilia eſſe , & tumultuoſa , & exitioſa poſſunt : magnitudinem quidem ; cujus firmamentum eſt roburque bonitas , non habebunt.

Sen. 3. de Ben Ne culli magis abjiciunt animos, quàm qui improbe tollunt.

Digitized by Google

Eſt autem contemptor animus, & ſuperbia commune nobilitatis malum: *Salluſt. Iugurt.*

Et

Vitium rebus ſolenne ſecundis. *Claud. 2. Stil.*

Quicquid *enim* leve & inane in animo eſt, ſecunda ſe aura ſuſtollit. *Sen. 2. de Cl.*

Et fragilitatis humanæ nimia in proſperis rebus oblivio eſt.

Eſtque

Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ, *Virg. 10 Aen.*
Et ſervare modum, rebus ſublata ſecundis.

Non ſolum *enim* ipſa fortuna cæca eſt; ſed etiam eos plerumque cæcos efficit, quos complexa eſt. *Cic. de Amic.*

Et fortuna, cum blanditur, captatum advenit. *Publ.*

Etiam naturam plerumque fortuna corrumpit. *Curt. 3.*

Et inter tot obſequia fortunæ non ſatis cauta mortalitas eſt. *Ibid.*

Vnde admodum raro felicitatis, & moderationis dividuum eſt contubernium. *Vall. l. 9 cap. 5.*

Itaque impone felicitati tuæ frænos: facilius illam reges. *Curt. 7.*

Nam

—— Modicis rebus *Sen. Agam.*

Longius ævum eſt.

Horat. 3 *Car. Ode.* 4. *Et* vim temperatam dii quoque provehunt
In majus.

Sen. Ode. *Sed* quicquid exceſſit modum pendet inſtabili loco.

Etiam

Horat 1 *Cic. Ode.* 43 ——Valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus
Obſcura promens.

Publ. Et fortuna vitrea eſt : cum ſplendet, frangitur.

Tacit. 1. *An.* *Nam* cuncta mortalium incerta : quantoque plus adeptus ſis ; tanto te magis in lubrico cenſeas.

Saluſt. Iugurt. Et humanæ res fluxæ, ac mobiles ſæpe in adverſa mutantur.

Curt. l. 7 In quibus nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit etiam ab invalido.

Ibid. *Siquidem* Leo ipſe aliquando minimarum avium pabulum fit : & ferrum rubigo conſumit.

Sen. 1 *de Clem.* Regem *etiam* & ſervus, & Serpens, & ſagitta occidit.

Tacit. Multa *vero* documenta non deſunt inſtabilis fortunæ, ſumma etiam miſcentis.

Et ſæpe inter fortunam maximam & ultimam nihil intereſt. *Sen. 6. de Benef.*

Scilicet

Confide regnis, cum levis magnas opes *Sen. Med.*
Huc ferat, & illuc caſus.

Rebus *igitur* ſecundis modeſtè, ac moderatè utendum. *Liv. 42.*

Nec ſis qualis Alexander, qui orientem fortunam moderate & prudenter tulit, ad ultimum magnitudinem ejus non cepit. *Curt. 3.*

Nam

Moderata durant: quoque fortuna altius *Sen. Troad.*
Evexit ac levavit humanas opes;
Hoc ſe magis ſupprimere felicem decet,
Varioſque caſus tremere, metuentem Deos
Nimium faventes.

Itaque à te Princeps *abſit* ſuperbia, & aſperitas. *Plin. l. 9. ep. 24.*

Namque

Inquinat egregios adjuncta ſuperbia mores. *Claud. 4. Honor.*

Sin ita vis;

Dominare tumidus; ſpiritus altos gere:

Sequitur ſuperbos ultor à tergo
Deus.

Pub. Et cito ignominia fit ſuperbi gloria.

O*Mni autem in re modeſtia Principis eluceat.*

Cic.Pl.8. Perſona enim Principis non ſolum animis,ſed etiam oculis ſervire debet civium.

Cic. 1. de Offic. Illius igitur ſtatus, inceſſus,ſeſſio, accubatio,vultus,oculi,manuum motus teneant decorum.

Saluſt. in Frag. Sit ore probo ; animo verecundo.

Tacit. Agric. Cultu modicus ; ſermone facilis.

Cic. de Pet.Con. *Ore probo*; quia vultus, ac frons animi eſt janua, quæ ſignificat voluntatem abditam & retruſam.

Cic. de Orat. *Animo verecundo* : quia cuſtos virtutum omnium, dedecus fugiens, & laudem maximam conſequens,verecundia eſt.

Cultu modicus : *nam*

Ovid. ep. ad Phedr. Fine coli modico forma virilis amat.

Cic. 2. de Offic. *Sermone facilis* : *nam* difficile eſt dictu, quantopere conciliet animos ho-

hominum comitas, affabilitaſque ſermonis.

Sit *itaque* ſermone affabilis; acceſſuque facilis; & vultu (qui maxime populos demeretur) amabilis. *Sen. 1. de Clem.*

IN *cultu vero obſervandum eſt,* ut à forma removeatur omnis viro non dignus ornatus. *Cic. 1. de Offic.*

Ergo

Sint procul à nobis, juvenes, ut fæmina, compti. *Ovid. ep. Phædr.*

Nam munditiæ mulieribus; viris labor convenit. *Saluſt. Iug.*

Principi *vero* multo pulchrius, magiſque regium, animum præferre cultum, & compoſitum, quàm corporis veſtem. *Ariſt. præfat. ad Alex*

Hinc magni Principes olim leviter, & ſine cura ſeipſos habuerunt, non ab apparatu, ſed ab animo reges: & introrſum à plebe differebant; extrorſum vel gregariis ſimiles videbantur. *Sinæſ. in Orat. de Reg.*

Talis fuit Auguſtus, qui veſte non temere alia, quàm domeſtica uſus eſt, ab uxore, ſorore, & filia, neptibuſque confecta. *Suet. Aug*

Et Veſpaſianus, qui veſte habituque vix à gregario milite diſcrepabat. *Tac. 2. hiſt.*

Lampr. Alex. *Et* Alexander Severus, qui gemmas à calceamentis, & veſtibus ſuſtulit, veſte alba uſus, nec aurata, & pænulis, togiſque communibus, dicens; Imperatoriam Majeſtatem conſtare virtute, non corporis cultu.

Amm. Marcell. *Sanè* ubi magna cultus cura, magna eſt virtutis incuria.

Sen. AD *modeſtiam autem in ſermone quod attinet*, in hoc incumbe, ut libentius audias, quam loquaris.

Apud Laert. 7. *Nam* idcirco, ut inquit Zeno, aures habemus duas, linguam unam, ut plura audiamus, loquamur perpauca.

Gell. l. 1. *Unde* Heſiodus, Poetarum prudentiſſimus, linguam non vulgandam, ſed recondendam eſſe dicit perinde ut theſaurum, ejuſque eſſe in promendo gratiam plurimam, ſi modeſta & parca ſit.

Val. l. 3. Eſt *autem* taciturnitas optimum & tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum.

Curt. 4. Nec ulla res magna ſuſtineri poteſt ab eo, cui tacere grave eſt.

Quamobrem

Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus:

Ovid. de Art. At contra gravis eſt culpa, tacenda loqui.

Nam nulli tacuiſſe nocet; nocet eſſe locutum. *Diſt. Cat.*

In loquendo *autem* Chilon non committendum eſſe dicebat, ut lingua mentem præcurreret. *Apud Laert. l. 1.*

Et in primis providendum eſt, ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe moribus. *Cic. 1. de Offic.*

Fugienda eſt etiam in ſermone jactantia. Nihil eſt enim quod magis minuat laudis præconium, quàm ſuos aſſidue jactare ſucceſſus. *Val. l. 2.*

Deforme etiam eſt de ſeipſo prædicare falſa præſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum. *Cic. de Off.*

Nam hujuſmodi Thraſonum omnis vis, virtuſque in lingua ſita eſt. *Saluſt. ad Cæſ.*

Et, ut quiſque eſt animo ignavus, ita eſt ore procax. *Tac. 2. hiſt.*

Scitum eſt illud; canem timidum latrare vehementius, quàm mordere; altiſſima quæque flumina minimo ſono labi. *Curt. l. 7.*

Princeps autem plurimum facere, & minimum ipſe de ſe loqui debet. *Saluſt. Iugurt.*

Etiam Regi vociferatio, verborumque intemperantia non ex majeſtate eſt. *Sen. 1. de Clem.*

Si vero ineſt in oratione modeſtia, & gravitas, nihil admirabilius fieri poteſt; *Cic. de Offic.*

Eoque magis, ea ſi ſunt in adoleſcente.

Sed modeſtiæ non deſunt immodeſti obtrectatores.

Su'ton.ad Cæſ. *Nam* is inceſſit mos, ut homines adoleſcentuli ſua atque aliena conſumere, nihil libidini atque aliis rogantibus denegare, pulcherrimum putent: eam virtutem, & magnitudinem animi; pudorem atque modeſtiam pro ſocordia æſtiment.

Tac. 15. Annal. *Sed tu tibi perſuade* modeſtiæ famam neque ſummis mortalium aſpernandam, & à diis æſtimari.

Id. 2. Hiſt *Non aſpernatus eſt eam Veſpaſianus*, in quo nihil tumidum, aut arrogans, aut in rebus novis novum fuit.

Id. 3. An. Præcipuus adſtricti moris author, antiquo ipſe cultu, victuque.

Nec Trajanus; cui manebat Imperatori quæ prior humanitas: Pl. Pan.

Quique par omnibus erat, & hoc tantum cæteris major, quo melior.

Nam in hujuſmodi Principibus

Non mutata quies, probitaſve ſecundis
Intumuit; tenor idem animi, moreſque modeſti, Sil.
Fortuna creſcente, manent.

Pl. 9. ep. 24. Hos imitare: nec timueris contemptū.

Nec *enim* ab ullo periculo fortuna Principum longius abeſt, quam ab humilitate. *Id. Pan.*

Immo vero cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hic uno modo creſcere poteſt, ſi ſe ipſe ſubmittat ſecurus magnitudinis ſuæ. *Ibid.*

CAPUT IX.

DE LIBERALITATE.

Apud Pomp. Let. D*igna* Principe *virtus eſt etiam Liberalitas* : *quàm Diocletianus* primam dotem Principis vocabat.

Saluſt. Iug. Regem *enim* armis, quàm munificentia vinci minus flagitioſum eſt.

Sen. de brevit. Melius *etiam* beneficiis Imperium cuſtoditur, quàm armis.

Plut. Apoph. *Et* ditare magis eſt regium, quàm diteſcere :

Val. l. 4. *Nam* multum occupare, habere invidiam poteſt: multum tribuere, gloria carere non poteſt.

Cic. 1. de Fin. Et liberalitate qui utuntur benevolentiam ſibi conciliant, & (quod aptiſſimum eſt ad quietè vivendum) charitatem.

C. Orat. ante Ex. l. Liberalè *autem* officium eſt ſerere beneficium, ut metere poſſis *hunc* fructum.

Cæterum falluntur, quibus luxuria

ſpecie liberalitatis imponit. Perdere multi ſciunt: donare neſciunt.

Siquidem ambitio, & jactantia, & effuſio, & quidvis potius quàm liberalitas exiſtimanda eſt, cui ratio non conſtat. *Pl. Pap.*

Liberalitatis *autem* duo ſunt maxime probabiles fontes: verum judicium, & honeſta benevolentia. Nam cum ab his oritur, tum demum ei ratio conſtat. *Val. l. 4. cap. ult.*

Beneficiis *enim* ſi detraxeris judicium, deſinunt eſſe beneficia. *Sen. 1. de Benef.*

Itaque Prodigus eſt qui ubi non decet & quantum non decet, & quando non decet, impendit: Avarus qui non impendit ubi decet, & quantum, & quando decet: Liberalis qui ubi, quantum, & quando decet impendit. *Ariſt. 1. mag. Mor.*

IN beneficio *autem* jucundiſſima eſt tribuentis voluntas. *Sen. 2. de Benef.*

Et gratiſſima ſunt beneficia parata, facile occurrentia, ubi nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundia. *Ibid.*

Nam dono ipſi gratiam magnitudo quidem ſua, ſed efficaciorem aliquanto opportunitas conciliat. *Val. l. 4.*

illibata, & integra ad eos, quibus promiſſa ſunt, perveniant ſine ulla (quod aiunt) deductione. Nemo illa intercipiat; nemo detineat: nemo in eo quod daturus es gratiam ſuam facere poteſt, ut non tuam minuat.

Porro ad largiendum quàm ad promittendum, promptior eſſe debes. *Democ. apud Stob.*

Nam

Multa fidem promiſſa levant: *Horat. 2. ep. 2.*

Et

Pollicitis dives quilibet eſſe poteſt. *Ovid. 1. de Art.*

Igitur priuſquam promittas, delibera. *Stob. Ser. de Mor.*

Sed beneficium verbis initum re comprobes. *Teren. Aud.*

In beneficiis *vero* collocandis mores hominum, non fortunam ſequi decet. *Cic. 2. de Offic.*

Non eſt enim beneficium quod fortunam ſpectat. *Sen. 4. de Ben.*

Itaque melius apud bonos, quàm apud fortunatos beneficium collocatur. *Ibidem.*

Immo & propenſior benignitas eſſe debet in calamitoſos, niſi forte erunt digni calamitate. *Ibidem.*

Quod *autem* tributum eſt bono viro, & grato, in eo cum ex ipſo fructus eſt, tum etiam ex cæteris. *Ibidem.*

Publ. *Nam* beneficium dignis ubi das, omnes obligas.

Idem. *Et* beneficium dando accepit, qui digno dedit.

Plaut. Rud. Quare quod benefit bonis, haud perit.

Idem in Trin. Sed contra, malo ſi benefacias, id beneficium interit.

Enn. apud Cic. 2. Of. *Et* benefacta male locata malefacta ſunt.

Plaut. Pen. ——Nam malo benefacere tantundem

Eſt periculi, quantum bono malefacere.

Max. Ser. de Ben. Qui *vero* largiuntur indignis ea quæ dignis conferri debebant, tria committunt abſurda: nam & ipſi jacturam faciunt; & in bonos injurii ſunt, & malos deteriores reddunt, materiam vitiis ſuppeditantes.

Plut. de vitioſ. pud. Nonnulli autem, familiaribus probis, & indigentibus neglectis, dant aliis importune ac impudenter petentibus, non ſtudio dandi, ſed quia negare non poſſunt.

Sen. 2. de Ben. Hos liberales facit frontis infirmitas.

Plut. de vitioſ. pud. Sed dandi arbitrium judicio, non inepto pudori deferendum docuit Rex

Archelaus, qui, in cœna importuno quodam aureum poculum poſcente, id Euripidi dari juſſit, importuno illi dicens: Tu dignus es qui petas, nec accipias; ille qui accipiat etiam non petens.

Idem oſtendit Alexander Severus, qui deſcriptum habebat, quid cui præſtitiſſet: qui autem ex benemeritis nihil, aut minimum petiiſſent, eos appellabat dicens: Quid eſt quod nihil petis? An me tibi vis fieri debitorem? pete, ne fruſtratus de me queraris. *Lamp. Alex.*

Hos imitare, non Reges illos, qui multa opertis oculis donant; *Senec. 4 de Ben.*

Et gratias Virgines meretrices efficiunt. *Max. Ser. &c.*

Similes iis ficubus, quæ in altis præruptiſque naſcuntur; è quibus homo fructum non capit, ſed corvi tantum, & milvi. *Stob. Ser. 15.*

Itaque in deligendis idoneis judicium, & diligentiam adhibeas. *Cic. 2. de Offic.*

Et habeatur perſonarum, ac dignitatum proportio. *Sen. de Ben.*

Si avaris beneficia das; non patitur aviditas quenquam eſſe gratum: Nunquam enim improbæ ſpei quod datur, ſatis eſt: *Sen. 1. de Ben.*

Ibidem. *Si ambitioſis*; æque ambitio non patitur quenquam in ea menſura bonorum conquieſcere, quæ quondam ejus fuit impudens votum. Vltra enim ſe cupiditas porrigit,& felicitatem ſuam non intelligit, quia non unde venerit reſpicit, ſed quò tendat.

Cic. 1. de Offic. Caveto *etiam* ne largitio fontem ipſum benignitatis exhauriat:ita enim benignitate benignitas tollitur.

Pl. ep. 8. *Et* ſubitæ largitionis comes eſt pœnitentia.

Sen. 1. de Benef. Adde quod turpiſſimum genus damni eſt inconſulta donatio.

Tac. 3. hiſt. Etiam ſimplicitas, ac liberalitas, nî adſit modus, in exitium vertuntur.

Idem 13. Annal. Curandum *igitur* eſt ut ratio quæſtuum, & neceſſitas erogationum inter ſe congruant

Non *enim* debet Princeps gravitate ſumptuum juſtos redditus anteire.

Pl. Pan. *Sane* frugalitas Principis multis impenſis & erogationibus vel ſola ſufficit.

Tac. 2. hiſt. Non debet *autem* privatim largiri, quod avidius de Rep. ſumat.

Id. 3. An. *Nam* ſinguli nunquam ſaturabuntur: Reſp. deficiet.

Et ſequuntur largitionem rapinæ *Cic. 2. de Offic.* Cum enim dando egere cœperint homines, alienis bonis manum afferre coguntur: nec tanta ſtudia aſſequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt.

Amicitias *autem* qui magnitudine *Tac. 3. hiſt.* munerum, non conſtantia morum continere putat, meretur magis, quàm habet.

Nam

Perdurat non empta fides: nec pec- *Claud. 4. Honor.* tora merces alligat.

Et pretio parata vincitur precio fi- *Sen. Agam.* des.

Itaque ne ſub ſpecie benignitatis in- *Sen. 1. de Benef.* conſulta facilitas placeat.

Nam liberalitatem nec deeſſe opor- *Ibidem.* tet, nec ſuperfluere.

Et cum ſit nulla honeſta vis animi, *Ibidem.* etiamſi à recta voluntate incœpit, niſi quam virtutem modus fecit, veto liberalitatem nepotari.

Enimvero

Eſt modus in rebus; ſunt certi denique fines; *Horat. 1. Sat. 1.*
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.

CAPUT X.

DE TEMPERANTIA.

Cic. Rhet. CVm *Temperantia* ſit rationis in libidinem atque alios non rectos impetus animi ſumma & moderata dominatio, *quis eam ſummo tot mortalium moderatori, ac domino futuro neceſſariam eſſe non videt?*

Val. l. 1. *Nam* nihil eſt tam præclarum, tamque magnificum, quod non moderatione temperari deſideret.

Plut. Gril. Eſt *autem* temperantia contractio quædam cupiditatum, & ordo ſupervacaneas, & aſcititias abigens, & mediocriter cum decori ratione obſequens neceſſariis.

Sen. ep. 88. *Vnde* temperantia voluptatibus imperat: alias odit, atque abigit: alias diſpenſat, & ad ſanum modum dirigit: nec unquam ad illas propter ipſas venit: ſcit optimum eſſe modum cupitorum, non quantum velis, ſed quantum debeas ſumere.

Nam in rebus fugiendis, aut expetendis rationem ut ſequamur monet: nec enim ſatis eſt judicare quid faciendum, non faciendumve ſit, ſed ſtare etiam oportet in eo quod ſit judicatum. Plerique autem continere atque ſervare id quod ſtatuerint non poſſunt, ſed victi & debilitati, objecta ſpecie voluptatis, tradunt ſe libidinibus conſtringendos: nec quid proventurum ſit provident; ob eamque cauſam, propter voluptatem & parvam, & non neceſſariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere poſſent ſine dolore, tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt. *Cic. 1. de Fin. 1.*

Et quia cæcus ineſt vitiis amor, omne futurum
Deſpicitur, ſuadentque brevem præſentia fructum:
Et ruit in vetitum damni ſecura libido. *Claud. Eutrop.*

Qui *autem* ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propter eas dolores conſequantur, & qui ſuum judicium retinent, ne voluptate victi faciant id quod ſentiunt non eſſe faciendum; hi voluptatem maximam adipiſcuntur prætermittenda voluptate. *Cic. 1. de Fin.*

Cic. 4. Tuſc. SED quemadmodum temperantia ſedat appetitiones, & efficit, ut hæ rectæ rationi pareant, conſervatque conſiderata judicia mentis: ſic huic inimica intemperantia omnem animi ſtatum inflammat, conturbat, incitat.

Ariſt. 3. Eth. c. 11 *Nam* intemperans omnes voluptates concupiſcit, aut certe maximas, ſicque voluptatibus rapitur, eas ut rebus omnibus anteponat. Itaque & non fruendo angitur, & concupiſcendo.

Sen. de Vita Beat. *Et* ut feras cum labore periculoque venamur, & captarum quoque illarum ſollicita poſſeſſio eſt, ſæpe enim laniant dominos: ita habentibus magnæ voluptates in magnum malum evaſere, captæque cepere. Quæ quo plures, majoreſque ſunt, eo ille minor, ac plurium ſervus eſt, quem vulgus felicem appellat.

Sane miſerrimi mortalium judicandi, Sen. 7. de Ben. in quantiſcunque opibus refulgeant, ventri aut libidini dediti, quorum animus inerti otio torpet.

Saluſt. Iug. Quo magis pravitas eorum admiranda eſt, qui dediti corporis gaudiis per luxum, & ignaviam ætatem agunt. Cæterum ingenium, quo neque melius,

melius, neque amplius aliud in natura mortalium eſt, incultum, atque ſocordia torpeſcere ſinunt.

Animo *autem* per libidinem corrupto nihil honeſtum ineſt *Tacit. 1. Annal.*

Voluptas *enim* rationi inimica impedit conſilium, ac mentis perſtringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. *Cic. de Sen.*

Et quo major eſt, eo magis mentem è ſuo ſtatu & ſede demovet. *Idem in Para.*

Vnde in voluptatis regno virtus non poteſt conſiſtere. *Idem de Sen.*

Voluptas *enim* diſſolvit, & omne robur animi emollit. *Sen. ep. 92.*

Nulla vero capitalior peſtis quàm voluptas corporis hominibus à natura data eſt. *Cic. Cat.*

Quid enim luxuria, & libidine fœdius? quid etiam damnoſius? quibus virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur; adeout neſcias ab hoſtibusne, an ab illis capi pernicioſius habendum ſit. *Val. lib. 9. c. 1.*

Una Hannibalem hiberna ſolverunt, & indomitum illum nivibus, atque Alpibus virum enervaverunt fomenta *Sen ep. 57.*

Campaniæ. Armis vicit: vitiis victus eſt.

Cic. de Sen. *Itaque* recte voluptatem Plato eſcam malorum appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo piſces,

Vnde etiam dicitur

Claud. 2. Stil. Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper.
Corporis arbitriis hebetat caligine ſenſus,
Membraque Circæis effæminat acrius herbis.
Blanda quidem vultu, ſed qua non tetrior ulla
Interius, fucata genas, & amicta doloſis
Illecebris auro torvos circumligat hydros.

Cic. 1. de Leg. VOluptas *etiam* ut decoris labes opprimenda eſt.

Idem 1. de Offic. Non enim eſt ſatis digna hominis præſtantia.

Sen. 7. de Ben. In qua nihil eſt magnificum, quod naturam hominis diis proximi deceat.

Sen ep. 23. *Nam* humilis res, & puſilla eſt, & in minimo habenda pretio, communis cum mutuis animalibus: ad quam minima, & contemptiſſima advolant.

Membrorum turpium ac vilium miniſterio veniens, exitu fœda. *Idem 7. de Ben.*

Fragilis eſt etiam, & brevis: faſtidit objecta: quo avidius hauſta eſt, citius in contrarium recidens: cujus ſubinde neceſſe eſt aut pudeat, aut pœniteat. *Ibidem.*

Fluit *enim* voluptas corporis, & prima quæque avolat, ſæpiuſque relinquit cauſas pœnitendi, quam recordandi. *Cic. de Fin.*

Et triſtes eſſe voluptatum exitus, quiſquis reminiſci libidinum ſuarum volet, intelliget. *Boët. 3. de Cōſ.*

Nam

Habet omnis hoc voluptas; *Ibid.*
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Vnde Ariſtoteles admonebat, ut voluptates contemplemur non venientes, ſed abeuntes: venientes enim fucata ſpecie blandiuntur: abeuntes dolorem ac pœnitentiam relinquunt. *Serin. in Memor.*

Et Architas Tarentinus dicebat nullam peſtem eſſe voluptate capitaliorem: ſiquidem ex ea, tanquam ex fonte *Ibid.*

prodit, quicquid eſt in hominum vita ſcelerum, & calamitatum.

Sil. 15. — Inde aſpice late
Florentes quondam luxus quas verterit urbes.
Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.

Etiam

Perdidit horrendo Trojam Venus improba bello;
Et Lapithas bello perdis, Iacche, gravi.

Itaque

Horat. 1. ep. 1. Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Princeps autem ab amore laſcivo intemperantiæ comite ac fomite maxime ſibi caveat.

Nam

Ovid. 3. Met. Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur
Majeſtas, & amor.

Certe

Id ep. 1. Quid deceat non videt ullus amans.

Plaut. Ciſt. Porro amor & melle, & felle eſt

fœcundiſſimus : guſtu quidem dat dulce: amarum ad ſatietatem uſque oggerit.

Vnde

Quod juvat exiguum eſt : plus eſt quod lædit amantes. *Ovid. 1. Art.*

Ergo

Utile propoſitum eſt ſævas extinguere flammas, *Id. 1. Remed.*
Nec ſervum vitiis pectus habere ſuum.

Quamobrem

Opprime, dum nova ſunt, ſubiti mala ſemina morbi. *Ibidem.*

Nam

Qui blandiendo dulce nutrivit malum, *Sen. Hippol.*
Sero recuſat ferre quod ſubiit jugum.

Amor autem iuventa gignitur, luxu, otio:

Nutritur inter læta fortunæ bona: *Sen. Octav.*
Quem ſi fovere, aut alere deſiſtas, cadit;
Brevique vires perdit extinctus ſuas.

Itaque

Fac monitis fugias otia prima meis. *Ovid. 1. Rem.*

Hæc, ut ames, faciunt; hæc, ut
ſecere, tuentur:
Hæc ſunt jucundi cauſa, cibuſque
mali.
Otia ſi tollas, periere Cupidinis ar-
cus,
Contemptæque jacent, & ſine luce
faces.

Cic. 1. de Offic. MAxime autem juvenum ætas à libidinibus arcenda eſt, exercendaque in labote, patientiaque animi & corporis.

Ibid. *Atque etiam*, cum relaxare animos, & dare ſe jucunditati volent, caveant intemperantiam; meminerint verecundiæ.

Ibid. *Nam* ludo & joco uti, illis quidem licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris, tum cum gravibus ſeriiſque ſatisfecerint: Ipſumque jocandi genus ingenuum & facetum eſſe debet, non profuſum, nec immodeſtum: ſed ſemper in ipſo joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.

Cic. de Senect. *Enimvero* libidinoſa intemperanſque adoleſcentia effœtum corpus tradit ſenectuti.

Apud Stob. Ser. de *Hinc* dicebat Diogenes, ut in æ-

dibus, in quibus copia eſt alimen- *Intemp.*
torum multi ſunt mures, & feles;
ſic etiam corpora intemperantium hominum
multos ſibi morbos aſciſcere.

Quamobrem adoleſcentes id agere de- *Senec.*
bent, ut irritamenta vitiorum quam *ep.* 51.
longiſſimè profugiant;

Et dimittant voluptates turbidas ma- *Id. ep.*
gno luendas. 27.

Siquidem

Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bo- *Ovid.*
nis. *ep.* 16.

Hoc autem eo magis faciendum quod *Cic.* 5.
qui voluptatem maxime ſequuntur, ii *Tuſc.*
minime conſequuntur.

Et rejiciendis voluptatibus majores *Id.* 1. *de*
alias conſequentur. *Fin.*

Nam temperantia quæ jucunda *Democ.*
ſunt auget, & voluptatem majorem *apud*
facit. *Stob.*

Quippe

Voluptates commendat rarior *Iuven.*
uſus

Et dulcium quæ rariſſima ſunt ma- *Democ.*
xime delectant: ſi quis modum exceſ- *apud*
ſerit, jucundiſſima quæque injucundiſ- *Stob.*
ſima fient.

Sen. ep. 39 Pleroſque *vero* oblectamenta brevia, & fallacia decipiunt: ſicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat. Sed gaudium non naſcitur niſi ex virtutum conſcientia. Non poteſt gaudere niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans.

——Semita certe
Iuven. Sat. 10. Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

CAP.

CAPUT ULTIMUM.

DE FORTITVDINE.

QVemadmodum Principi juſtitia ad ſuos æquitate, ac legibus in pace regendos maxime convenit: ita etiam & Fortitudo ad eoſdem armis in bello protegendos. Non igitur noſtri inſtituti eſt, fortitudinem illam Principi commendare, quæ in perferendo, ac patiendo præcipue cernitur (quamvis ea laudabilis ſit, & cuivis optanda) multo minus falſam illam, quam vulgus hominum ſuſpicit, & laudat; cujus origo eſt odium, aut impotens ambitio, comites injuſtitia, & temeritas, effectus injuſtæ rapinæ, cædes, & publicæ clades: ſed illam, qua Princeps ſe, ſuoſque ab hoſtium, ac perduellium injuriis invicto animo tuetur; & quæ pro Cynoſura juſtitiam, pro gubernaculo prudentiam, pro portu denique pacem habet.

Nam quod ad juſtitiam attinet, ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, ſi juſtitia vacat, *Cic. 1. de Offic.*

pugnatque non pro ſalute communi; ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt. Non enim modo id virtutis non eſt, ſed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis.

Ibidem. Iuſtitiæ *vero* primum munus eſt; ne cui quis noceat, niſi laceſſitus injuria.

Ibid. Fortes igitur ac magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant injuriam.

Thucid. lib. 1. In eum *vero*, qui jure agere, & ſatisfacere paratus ſit, nefas bellum ſumere.

Liv. 9. Iuſtum *autem* bellum, quibus neceſſarium eſt: & pia arma quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes.

Tacit. de mor. Germ. Optabilius quidem *foret* magnitudinem ſuam juſtitia tueri.

Vel. l. 2. *Sed quia* non deerunt, niſi ſilva, *in qua graſſantur*, exciſa, raptores alienæ libertatis.

Cic. pro Mil. Illud eſt non modo juſtum, ſed etiam neceſſarium; cum vi vis illata defenditur.

Ibidem. *Nam* hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut om-

nem ſemper vim quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent.

SEd ſunt & belli, ſicut pacis jura: juſteque ea non minus, quàm fortiter debes gerere *Liv. 5.*

Nam aliter quid aliud, quàm omnium inter ſe gentium bella exiſtent? *Tac. 4. hiſt.*

Et barbaro ritu cædem cæde, & ſanguinem ſanguine expiabimus. *Saluſt. ad Cæſ.*

Sed plerique libidinem dominandi cauſſam belli habent, & maximam gloriam in maximo Imperio putant. *Saluſt. Cat.*

Et ex omni occaſione quærunt triumphum. *Plin. Paneg.*

Namque his

Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis, *Iuven. Sat. 19.*
Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens,
Humanis majora bonis creduntur.

Vnde ab iiſdem.

——Quæritur belli exitus, *Sen. Herc. Fur.*
Non cauſa.

Liv. 21. *Attamen* plerumque eventus belli, velut æquus judex, unde jus ſtabat, ei victoriam dedit.

Sane

Lucan. 7. Cauſa jubet ſuperos melior ſperare ſecundos.

Et vi conſcientiæ

Propert. 4. El. Frangit, & attollit vires in milite cauſa:
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

P*Rudentia etiam fortitudinem gubernet.*

Cic. 2. Tuſc. *Nam* fortes non modo fortuna adjuvat (ut eſt in proverbio) ſed multo magis ratio, quæ quibuſdam quaſi præceptis confirmat vim fortitudinis.

Sen. 1. de Ira. Et illa certiſſima eſt virtus, quæ ſe diu multumque circumſpexit, & rexit, & ex lento, ac deſtinato provexit.

Nam temeritas, ubi primum impetum fudit, velut quædam animalia, amiſſo aculeo torpet.

P*roinde*

Val. Flac. 1. Argon. ——Non ſolis viribus æquum
Credere; ſæpe acri potior Pru-

dentia dextra.

Hinc in Vlyſſe Prudentia, ſic in Ajace audaciam compellat:

——Tibi dextera bello *Ovid. 13. Metam.*
Utilis; ingenium eſt quod eget moderamine noſtro:
Tu vires ſine mente geris; mihi cura futuri eſt:
Tu pugnare potes; pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: Tu tantum corpore prodes;
Nos animo: quantoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium; quanto eſt dux milite major;
Tantum ego te ſupero.

Itaque arma conſilio temperanda ſunt. *Tacit. 1. Annal.*

Et conſilio omnia prius, quàm armis experiri ſapientem decet. *Ter. Eunuch.*

Nam animus vereri qui ſcit, ſcit tuto aggredi. *Publ.*

Et omnia audens contemnitur: nil temere agens metuitur. *Liv. 22.*

Quicquid *igitur* præter opinionem in bello evenire poteſt, priuſquam aggrediare, conſidera. *Saluſt. Iug.*

Nam omne bellum ſumitur facile; *Thucid. 1.*

cæterum ægerrime deſinit: nec in ejuſdem poteſtate initium ejus, & finis eſt. Incipere cuivis etiam ignavo licet: deponitur, cum victores volunt.

Liv.30. *Itaque* cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem propone animo.

Nam

Sen.Theb. Licet omne tecum Græciæ robur trahas;
Licet arma longe miles, ac late explicet;
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

Saluſt. Iug. Quantumvis *autem* opibus tuis confidas, non debes certa pro incertis mutare.

Liv.30. Nec ita aliena appetas, ut de tuis dimices.

Curt.l.7. *Quin potius* cave, ne dum ad culmen venire contendis, una cum ipſis ramis quos comprehendiſti, decidas:

Suet.Aug. E*t Auguſtum audi*, qui prælium, aut bellum ſuſcipiendum omnino negabat, niſi cum major emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenderetur. Nam minima commoda non minimo

ſectantes diſcrimine ſimiles aiebat eſſe aureo hamo piſcantibus, cujus abrupti damnum nulla captura penſari poſſet.

Simul *enim* parta, & ſperata decora, unius horæ fortuna evertere poteſt. *Liv. 30.*

Sane cautis, quàm acrioribus conſiliis fortuna tutius habetur. *Tacit. 12 Annal.*

Quamobrem Auguſtum imitare, qui nulli genti ſine juſtis, & neceſſariis cauſis bellum intulit: *Suet. Aug.*

Et cum Trajano nec provoces bella, nec timeas. *Pl. Pan.*

Id beatius, quàm ſuas alienaſque fortunas metu verſare. *Tacit. de Mor. Ger.*

Sane pius, etiam & magnanimus Princeps alieno ſanguini, tanquam ſuo, parcit; & ſcit homini non eſſe homine prodige vetendum. *Sen. ep. 89.*

Etiam cum Scipione, & Antonino mavult unum civem ſervare, quàm mille hoſtes occidere. *Capit. Anton.*

APage *ergo* furias, faceſque belli; *Liv. 21.*

Homines in id natos, ut neque ipſi quieſcant, nec alios ſinant. *Thucid. 3.*

Iſtorum enim

Lucan. 1. Quemque ſuæ rapiunt ſceleratæ in
prælia cauſæ.

At

Lucan. 4. Heu miſeri qui bella gerunt.

Cic. pro leg. Man. *Nam* belli non adventus ſolum, ſed etiam metus affert calamitatem.

Tum enim

——Non ullus aratro

Virg. 1. Georg. Dignus honos: ſqualent abductis
arva colonis.

Sen. Hip. Tum ſcelera dempto fine per cunctas
domos
Iere: nullum caruit exemplo nefas.

Namque

Sen. Herc. Fur. ——Arma non ſervant modum:
Nec temperari facile, nec reprimi poteſt
Stricti enſis ira.

Et

Sil. 1. Notum quid cæde calentibus armis,
Quantum iræ liceat, motuſque quid
audeat enſis.

Cic. 1. de Off. CUm *igitur* duo ſint genera decertandi, unum per diſceptationem; alterum per vim; cumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore.

Ac tum quidem

Tu ne cede malis;ſed contra audentior ito. *Virg. 6. Aen.*

Atque erectum, & fidentem animi te oſtende. *Tacit. 4. Ann.*

Nam fortis animi, & conſtantis eſt non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici (ut dicitur) ſed preſentis animi uti conſilio, nec à ratione diſcedere. *Cic. 1. de Offic.*

Cum *enim* tempus eſt, neceſſitaſque poſtulat, decertandum manu eſt; & mors ſervituti, turpitudinique anteponenda. *Ibid.*

Enimvero

Dulce, & decorum eſt pro patria mori. *Horat. 3. Car. Od. 2.*

Mors & fugacem perſequitur virum:

Nec parcit imbellis juventæ

Poplitibus, timidoque tergo.

Sane honeſta mors turpi vita potior: & incolumitas, ac decus eodem loco ſita ſunt. *Tacit. Agric.*

Nam fortiſſimus quiſque tutiſſimus eſt. *Saluſt. Iugurt.*

Et intuta plerumque quæ indecora. *Tacit. 1. hiſt.*

In prælio *enim* qui maxime timent, his maximum periculum eſt. *Saluſt. Catil.*

Tacit. 2. Annal. *Et* pavidis conſilia in incerto ſunt.

Cic. 1. de Offic. *Quamobrem* nunquam omnino periculi fuga committendum eſt, ut imbelles timidique videamur: ſed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis ſine cauſſa, quo nihil ſtultius eſſe poteſt.

Et ſane

Lucan. 7. ——Fortiſſimus ille eſt,
Qui promptus metuenda pati, ſi cominus inſtent,
Et differre poteſt.

Auth. l. de 4. Virt. *Itaque* eris fortis, & magnanimus, pericula ſi non appetas, ut temerarius; nec ut timidus formides.

Cic. 1. de Offic. S*I vero gerendum* ſit bellum, ita ſuſcipiatur, ut nihil aliud quam pax quæſita videatur.

Saluſt. ad Cæſ. *Nam* ſapientes pacis cauſa bellum gerunt, & laborem ſpe otii ſuſtentant.

Tacit. 1. Annal. Siquidem in pace cauſæ, & merita ſpectantur: ubi bellum ingruit, innocentes, ac noxij juxta cadunt.

Liv. 30. *Et profecto* melior, tutiorque eſt certa pax, quam ſperata victoria. Illa in tua, hæc in deorum manu eſt.

Cic. Phil. 13. *Etiam* nomen pacis dulce eſt: res vero ipſa tum jucunda, tum ſalutaris.

Id. de Leg. Agrar. Qua non modo ii quibus natura

ſenſum dedit,ſed etiam tecta,atque agri lætari videntur.

Etenim

——Pax optima rerum ,
Quas homini noviſſe datum eſt ; pax una triumphis *Sil.* 11.
Innumeris potior.

Nam

Nulla ſalus bello : pacem te poſcimus omnes. *Virg.* 11. *Aen.*

Et ſane

Candida pax homines , trux decet ira feras. *Ovid. de Art.*

Itaque.

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos *Ovid.* 1. *Faſt.*
Pax ades , & toto mitis in orbe mane.
Dum deſint hoſtes , deſit quoque cauſa triumphi :
Tu ducibus bello gloria major eris.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE